
SIC FIDEM TENEO

Wilkie — Holdsworth Rome 1830

# A N T A R A E

## POËMA ARABICUM MOALLAKAH.

# ANTARAE

POËMA ARABICUM MOALLAKAH,

CUM INTEGRIS

ZOUZENII SCHOLIIS.

E CODICE MANUSCRIPTO EDIDIT, IN LATINUM SERMONEM TRANSTULIT,

ET

LECTIONIS VARIETATEM

ADDIDIT

VINCENTIUS ELIAS MENIL.

OBSERVATIONES AD TOTUM POËMA SUBJUNXIT

JOANNES WILLMET.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD S. ET J. LUCHTMANS,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.
CIƆIƆCCCXVI.

# L. S.

Quam ante duo prope annos ad publicam disceptationem in Illustri hujus urbis Athenaeo proposui *Disputationem Philologicam de Antarâ ejusque Poëmate Arabico Moallakah*, ea veluti *Introductio* erat operis quod a me nunc editur. Itaque eam reliquis partibus praemissam sub titulo *Prolegomenorum* hic prodire nemo mirabitur.

Ad illius autem Dissertationis mentionem, lubenter in memoriam revoco benignitatem, quâ eruditi Orientalium literarum fautores non modo in hac nostrâ Patriâ sed et in vicinâ Germaniâ juvenilem illam Disputatiunculam exceptam voluerunt. Nata inde spes mihi fore ut quae, propter plurima typographi, viri honestissimi, negotia, nunc demum emittuntur opellae meae partes reliquae, item aliquâ literati orbis benevolentiâ dignae censeantur, cum non minorem quidem curam in has partes quam in primam contulerim. Etenim in edendis tum *Poëmate ipso* tum *Scholiis*, e praestantissimo Codice *Zouzeniano*, omnem adhibui diligentiam ac fidem: in

*Trans-*

*Translatione* vero *Poëmatis* elaborandâ, sedulo Commentatoris Arabici de eo mentem assequi Latineque exprimere conatus sum: *Varias* autem *Lectiones*, quâ hic exhibentur serie, et *Versus* in aliis Codicibus inveniendos, non sine labore digessi, quamquam in vertendis illis versibus saepius haerens. — Si tamen nostra haec eruditis minus probentur, illae, quae his omnibus subjunguntur, WILLMETII, Viri longe Clarissimi, *Observationes* ad totum Poëma, uti hoc opusculum maximopere ornant, ita haud dubie illi confestim omnium vere doctorum favorem, et vero perenne pretium conciliabunt. Scribebam Amstelodami, die 5 Februarii MDCCCXVI.

# PROLEGOMENA.

Veram Bibliorum, et praeſertim Sacri Codicis Hebraici, interpretationem interiore linguarum Orientalium ſcientiâ, niſi niti, at quam maxime certe adjuvari, nemo est nunc temporis, qui, post plurimas virorum eruditisſimorum hac in re lucubrationes, facile in dubium vocet. Sicut autem lingua Arabica omnium Orientalium est ditisſima, ejusque gentis ſcriptores linguâ, dictione, ingenio, moribus omnium proxime ad Hebraeos accedunt, ita quoque manifestum est, ex illorum familiari uſu praecipuum ad hos, maxime poëtas, intelligendos redundare emolumentum, et quo antiquiores ſint, eo majorem eos hac in re utilitatem praeſtare posſe, ideoque majore interpretum curâ esſe dignos.

Cum vero ex omnibus priſcorum Arabum ſcriptis nulla nobis ſuperſint niſi opera poëtica eaque inter in primis emineant ſeptem carmina, Moallakât dicta, quorum inſigne pretium tota gens Arabica etiam hac re testata est publice, quod illa, cum in poëtico certamine victoriam ab aliis retulisſent, templi Meccani foribus ſolenniter affigi curaverit, ſequitur iis carminibus praecipuam nos impendere debere curam.

De hoc igitur praeſtantiae utilitatisque eorum judicio, licet a

priscis et, qui hîc idem sentiunt, recentioribus Arabibus, nullo modo dissenserint quotquot etiam in Europâ exstiterunt periti harum rerum judices, tamen eorum carminum nonnisi unum et alterum omni, quâ dignissima sunt, diligentiâ Arabicis literis edita esse constat. Tharaphae Moallakah Arab. et Lat. cum Scholiis Nahhâsi et luculentis notis edita est a J. J. Reiskio Lugd. Bat. 1742. Amralkeisi Arab. et Lat. cum Scholiis Ibn-Nahhâsi et notis a G. J. Lette Lugd. Bat. 1748. Zoheiri carmen Arab. et Lat. cum ejusdem Scholiis et selectis Tebrizii, notisque ab E. F. C. Rosenmüller Lipf. 1792. Labidi Moallakah prior pars Arabice tantum a S. F. G. Wahl, in libro Germanico, cujus titulus *Magazin für alte, besonders morgenländische und biblische Litteratur*, *fasc.* 3. Halae 1790; et 16 priores versus a Carlylio in opere, cui titulus *Specimen of Arabian poëtry*, Cambridge 1796. ut et a Rosenmüllero in *Arabisches Elementar — und Lesebuch*, Lipsiae 1799. De Ionesii autem editione infra dicemus.

Iam vero e carminibus illis, sive quâ diximus curâ jam editis, sive aut partim tantum aut prorsus nondum vulgatis, postremum minime locum, sed omnino primarium. vindicat id, quod condidit Antara Ibn-Scheddâd; quippe in cujus heroïs poëmate mirum in modum, cum alia, tum altum ingenium, iique elucent animi affectus, quibus populares ejus delectari constat.

Non praeteriit hoc clarissimum Willmetium, virum tam verâ eruditione quam singulari humanitate praecellentissimum, qui mihi, de tali consilio ne cogitanti quidem, selectum hocce carmen tradidit, in cujus interpretatione vires meas experirer. Mihi tantum laborem, siquidem est aliquid (ut ipse testatus est eruditissimus Reiskius Prologi, saepissime citandi, ad Tharaphae Moallak, p. XXXIV. lin. 9 et 10.) Antarae versuum veram indagare sententiam, merito refugienti, animos tam benigne addidit vir optimus, ut rem aggredi jam auderem, praesertim fretus auxilio, quod ipse mihi sese al-

allaturum promiſerat. Nec vero illud mihi deſuit auxilium. Nam praeter aliquot notas, quas V. C. hisce Prolegomenis adjunxit, plurima, ut quivis paullo eruditior mox ſentiet, Ei mea acute limanti et ſaepe ſupplenti debentur. — Non committam equidem, ut in alumno, tot tantisque beneficiis cumulato, gratum ille animum deſideret. Sed cum illius palam ostendendi opportunitatem diu jam quaeſiverim, ecce datam laetus arripiam, ut illi eximio Fautori meo justisſimas agam gratias, quod inde a ſtudiorum principio ad hoc usque tempus tum aliis in rebus omnibus, tum in primis in elaborandâ hac opellâ permultis me officiis ſibi devincire dignatus ſit. Quae ut ego ad extremum usque ſpiritum memoriâ teneбo, ita et Ille benevolentiâ me proſequi ſuâ pergat velim. Utinam quibusvis optimis praemiis Eum quam cumulatisſime remuneretur ὁ Πατὴρ τῶν Φώτων! Utinam Ejus ad antiquam Batavorum gloriam in Orientalibus literis tuendam ſpectantibus votis et conatibus ſemper faveat! et, quod maximum est, cum clarae lucis ergo, quâ, pro judicio ſuo ſubtili exercitatoque, vel difficillima Sacrae Scripturae praeſertim Veteris Foederis loca perfundit, multos adhuc annos in hac literarum ſede florere jubeat!

Ut autem ad Antarae Moallakah redeamus, cum illud haud recte intelligere posſimus, niſi et ipſum ejus Auctorem propius cognoverimus et plura in hoc opere ejus ſingularia, de utrâque re nonnulla praemonebimus. Praeterea ut non tantum de fontibus, e quibus hauſimus, verum et de interpretationis veritate judicium ferri posſit, breviter percenſebuntur tum Codices, e quibus aut textum et ſcholia deſcripſimus, aut collationes nobis utiles mutuati ſumus; tum carminis Commentatores; quique ejus jam fuerunt Editores.

## §. I.

### *De Auctore.*

Ut ne confundatur Noſter cum aliis ejusdem nominis, qualem citat cl. Reiskius in Prolog. p. xxxiv. *Antaram*, ſcilicet, *filium Achres*, *Thaytam* (*a*), ante omnia inquirendum est in vera Illius nomina (*b*).

Fuit igitur Noſtro *Nomen* vulgare عَنْتَرَةُ, cujus etymon in Fragmento ſecundo (cujusmodi Fragmenta, vitam auctoris continentia, in Codice nostro, postea deſcribendo, Carmini huic praemittuntur quatuor), haud uno modo explicatur. En ipſa verba: قال قطرب عَنْتَرَةُ تكون مشتقة من العنتر وهو الذباب فتكون فعللة من ذلك ويجوز ان تكون عنترة فنعلة من العتيرة وهي التي تنحر للالهة اول ما تنتج يقال عتر يعتر اذا فعل ذلك ويروي عن النبي

(*a*) Hunc Meidanius in Theſauro Proverbiorum MS., Prov. 2669. Arabice vocat عنترة بن الاخرس الطائي, itidem poëtam, ejusque verſum Gjeuhari MS. in مكا adducit. Est etiam alter ab his diverſus عنترة بن الحسن, cujus genealogiam Ibn-Challecân MS. in vitâ Sultani Salâh-eddini, n°. 856. dedit. W.

(*b*) Vulgo ab Arabibus citatur, vel generatim nomine ejus proprio عنترة, vel ab origine ejus et facultate eximiâ عنترة بن شداد الشاعر *Antara Ibn-Scheddâd poëta*, et عنترة العبسي *Antara Abſita*, vel et *Antara*, *qui Dhemdhemum occidit* (coll. Meidanio MS. Prov. 3418) ab inſigni ejus virtute bellicâ, de quo facto infra; vel tandem عنترة الفوارس, aut ابو الفوارس, uti deinceps videbimus. W.

النبي صلعم اذ قال لا فرعة ولا عتيرة فالفرعة ذبيحة كانوا يذبحونها في رجب للاصنام وقال قطرب ايضا ويجوز ان تكون عنترة مشتقة من العنتر وهو الذكر ويكون مشتقة من العنترة وهي شجرة صغيرة تكون بنجد وتهامة كثيرة اللبن ۞

*Dixit Kothrob: Vocabulum* عنترة *derivatum est a* عنتر *muscâ, ut sit formâ* فعللة *ab illo* (عنتر). *Posſit quoque* عنترة *esſe formae* فنعلة a عتيرة *voce, ſignificante illud animal, quod, ante quam ullum foetum procreabat, Diis ſuis in ſacrificium immolari ab Arabibus Gentilibus ſolebat. Adhibetur enim verbum* عتر *fut* يعتر, *quando illud fit. — Referunt autem Prophetam dixisſe, nec* فرعة *nec* عتيرة *ſed* فرعة *esſe hostiam, quam illi menſe Regjeb idolis immolabant. — Addit Kothrob, posſe quoque nomen* عنترة *derivatum esſe a* عتر, *quod modo dictum ſignificat; nec non a* عترة, *arbore parvâ, lacrymae abundanti, quae in Negjd et Tihâmâ inveniuntur.* — Ipſe quidem nomen ſuum non عنترة ſed عنتر bis pronunciat v. 66 et 68. Hoc autem forte metri cauſâ factum est, ſicut etiam in carmine apud Ionesium, Commentar. Poëſ. Aſiaticae p. 393. med., licet quoque in titulo libri de historiâ Antarae, quem infra in notâ memorat V. C., eo modo ſcribatur. — Haec quidem de *nomine*. — *Cognomina* autem proprie dicta, ſive كنية, reperi tria, quorum nobis unum *Abu Gels* l. c. p. XXXII med. ſuppeditat Reiskius, eumque ſecutus Hartmann. in verſ. Germ. Moall. p. 143; re-

reliqua duo ابو المغلس وابو اوفي *Abu Mogles atque Abu Awfa* in IV Fragmento exhibentur (*c*).

Ut ad *Nomina*, ita ad *Originem* et *Genealogiam* Poëtae nostri declarandam usui erunt Fragmenta supra memorata. Antaram enim Fragmenta I et IV, consentiente Reiskio l. c. et pag. seq. XXXIII. Tebrizio, tradunt a patre oriundum esse Absitâ et matre Abissinâ nigrâ, fratresque habuisse servos, quippe câdem matre natos. Ob nigrorem matrisque humilitatem servus habitus est, nec sui juris ante evasit, quam

(*c*) Dubito tamen vehementer de horum cognominum primo, tum quia nullum ejus vestigium usquam exstat, tum quia illud nomen *Abu Gels*, Latinis tantum literis a Reiskio exhibitum, si Arabice sit ابو غلس vel ابو الغلس, forte festinante oculo ab illo per errorem lectum est pro *Abu'l Mogles* vel *Mogalles*, cum litera Mim, alteri Lam in scribendo subnecti solita, facile oculum fugiat, et in Fragmento illo citato aperte وكنيته ابو المغلس legatur, uti et in Tebrizii Scholio mox adducendo, licet obscure. — Quarti etiam cognominis ejus (sed ex illo cognominum genere, quod لقب vocant), quo dictus fuerit عنترة الفوارس *Antara heroum*, sc. unus aliquis et princeps, mentionem facit Reiskius l. c. p. XXXIII, uti et occurrit in carmine, modo ex Jonesii libro citato, p. 394. — Est etiam de quodam ejus cognomine, quod quintum esset, si recte se haberet, alter error, itidem ut videtur ex festinantiâ oriundus, quo Lette in not. ad Amralk. p. 202. dicit Antaram vulgo *Taäbbeta Scherran* vocari. Hic tamen alius poëta et heros est, ex Hamasâ satis cognitus. — Tribuitur tandem aliud ei cognomen الفلحاء *inferioris labii fissuram habens*, teste Gjeuhari in فلح his verbis: وكان عنترة العبسي يلقب الفلحاء لفلحة كانت به quod versu Schoreichi confirmat. W.

quam occasione quadam, cujus et nos, de Ejus *Vitâ* mox loquentes, mentionem faciemus, libertatem fortitudine suâ promeritus esset. E Tebrizio ad Ham. et ex libro Rihan profert Reiskius l. c. duo versus Antarae, in quibus humilem sibi objectam originem virtute compensatam esse gloriatur. Patre obscuro eum ortum esse, quo fundamento asserant Reiskius p. xxxii. et post eum Hartmann. l. c. p. 143. me quidem latet. Ipse quidem Antara, retundens eos, qui ob matrem ignobilem ei natalium sordes exprobrabant, versu respondit, cujus altera pars patrem origine Absitam adeoque non obscurum, altera matrem ignobilem spectat:

اني امرو من خير عبس منصبا شطري واحمي سايري بالمنصل

hoc est ex translatione Reiskii loco citato:

*Pars mei dimidia est e lectissimo Abs, alteram gladio defendo.*

Fuit autem Ejus Patri nomen *Scheddâd* (شَدَّاد), qui erat Ibn-Moäwiah, Ibn-Korâd. Cf. Tabula genealogica prologo Reiskiano annexa (*d*). Plura autem dat ille *Ahmed Ibn-Obaid* in Fragmen-

(*d*) Est tamen hic aliquis dissensus inter Arabas, cum nonnulli Antaram dicant filium Moäwiae, filii Scheddâdi, alii filium Scheddâdi, filii Moäwiae. Patet hoc ex Tebrizii Scholio MS. ad titulum hujus carminis, ubi sequentia leguntur: وقال عنترة بن معاوية بن شداد بن قراد كذا قال يعقوب بن السكيت وقال ابو جعفر احمد بن عبيد عنترة بن شداد بن معاوية بن قراد حدثني مخزوم بن عون بن غالب وكانت امه حبشية ويكني ابا المغلس ۞ Quam diversam Iacoubi et Ibn-Obaidi sententiam eodem modo refert Fragmentum IV. — Pro حدثني autem احد بني legendum puto, tum quia sensus id postulat, tum quia illud Fragmentum eam lectionem recte exhibet. W.

mento IV. Fuit Korâd, inquit, unus filiorum Mahzumi, Ibn-Awds, Ibn-Galeb, quibus verbis conjectura Reiskii p. XXXII. plane confirmatur, Nostrum ex familiâ *Galebitarum* esſe. Quae autem ſic ſupplet *Ibn-Obaid*, ea explere fortasſe poterunt, quae tabulam Reiskii dedecorat, lacunam, ita ut, ex hoc ſupplemento, Galeb, modo nominatus, habendus ſit Ibn-Abs, qui esſet Ibn-Bagid, Ibn-Reitz, Ibn-Gathfan, Ibn-Keis, Ibn-Geilan, Ibn-Modar, Ibn-Nezar, Ibn-Moad, Ibn-Adnan (*e*).

Utut est, hoc exinde ſatis patet, fuisſe eum عبسي *Abſiam*, uti et pasſim vocatur, recteque ſeſe habere, quod dicitur in eodem Frag-

(*e*) In hac tamen ſerie genealogicâ obſervandum, Geilan et Keis, (uti exhibent Reiske in Tab. cit. et Iones in Tab. Geneal. 7 poëtarum Ar. et Ibn-Chal. loco mox citando) a Gjeuh. in غطف et Ibn-Koteiba in Eichh. Mon. ant. hist. Ar. p. 97. ſeqq. et in Tab. Geneal. VI. et nonnunquam ab Ibn-Challecâno ex. gr. n°. 829. uno nomine dici Keis Ailan; porro monendum inter eum et Gathfan inſeri tam ab Ibn-Koteiba p. 98. et Gjeuh. quam in Joneſii Tabulâ, Saäd Ibn-Keis Ailan, ceteros, usque ad Abs, eodem ordine ab Ibn Kot. et Jon. exhiberi, cum tamen Ibn-Kot. tres Abſi filios, Kotajah, Warekah et Mognem memorans pag. 105. addat, de his nihil notum esſe, Joneſius vero illi ſubjungat Galeb, Auds, Mahzum, et tunc inſerat Nezar. Ex his igitur omnibus ſeries chronologica ſic cohaerere mihi videtur: Antara, Scheddâd, Moäwia, Korâd, Nezâr, Mahzum, Audh, Gâleb, Kotajah, Abs, Bagîdh, Reits, Gathfân, Saäd, Keis, Ailân, Modhar, Nezâr, Moädd, Adnân. — Confirmor in magnâ hujus ſupplementi parte, quia Ibn-Challecân genealogiam a Gâleb usque ad Adnân eodem modo exhibet: غالب بن قطيعة بن عبس بن بغيض بن ريث بن غطفان. بن سعد بن قيس بن عيلان بن مضر بن نزار بن معد بن عدنان Vid. eum in vitâ ربعي n°. 235. et partim etiam Gjeuhari MS. in ذبا. W.

Fragmento: هو من شعرا غَطَفَان *eum fuisse ex poëtis tribus Gathfanidarum.*

*Tempus* porro, *quo vixerit et floruerit*, etiam propter argumentum carminis, haud ignorari convenit. Reiskio annos aliquot ante Muhammedem natus, nec nisi diu post natum eum mortuus Antara videtur; cum (ut ipse testatur apud Meidanium, citatum a Reiskio p. XXXIII. med.) interfuerit bello Abs et Dhobjan, sive Dahes et Gabra vulgo a duobus horum nominum equis dicto (de quo infra §. II. dicemus), cui, paulo ante vel post Pseudoprophetae natales inito et per quadraginta annos gesto, haud dubie tamen, illo demum vivo et adulto, finis impositus est. Ita quidem cl. Reiskius l. c. XVIII—XXII et XXXIII. At vero cl. Silvestrius de Sacy in suâ *Notice historique des anciens poëmes arabes connus sous le nom de Moallakas* p. 18, cum dicit, bellum hoc incidisse in initium imperii Chosrou Nouschirvani, qui regno Persidis A. 531. potitus est, aut in saeculum sextum medium, eo ipso evidenter affirmat, illud incepisse diu ante Muhammedem natum, quippe qui A. 571. natus vulgo putetur. Hanc autem sententiam inde confirmat, quod, cum poëta Zoheir pater illius Caäbi fuerit, qui panegyricum in Muhammedem scripsit adeoque huic aequalis fuit; cum igitur Zoheir imperante Nouschirvano vixerit, suam autem Moallakah pepigerit in bellum Abs et Dhobjan modo finitum, Antara vero non tantum bello illi interfuerit, sed et sub initia ejus (Reiskius p. XVIII. fin. XXI med. et XXXIII ad fin.), atque adeo in primo aliquo ejus conflictu Dhemdhemum, Dhobjanitam illustrem (de quo supra n. et in ipso carmine v. 75) interfecerit (Sacy p. 20 fin.) recte mihi videtur cl. de Sacy p. 18. concludere, Antarae carmen aliquot annis illo Zoheiri antiquiorem esse; quod et statuit Jonesius in argumento hujus carminis.

De *Vitâ* Antarae, ad quam conspiciendam nunc progredimur,

 non

non nisi pauca, nobis saltem, innotuerunt. In ipso carmine ipse tantum tradit, habitasse se in Hazn et Sammaan et Motethsallem v. 4. mansionemque suam vernam fuisse in Gailam v. 9. Quam igitur modo tetigimus ejus historiam, eam cum heic loci exhibituri simus, nonnulla ad collationem ejus cum aliis narrationibus simul observare debemus. Tebrizius Scholiastes ad Ham. (Reiskii l. c. XXXIII.) narrat: عنترة بن امة وشداد لم يقبله ابنا وكان يسميه عبدا ثم قبله ابنا في بعض الحروب وذلك انهم كانوا قد اغاروا علي بعض القبيلة فانهزم فقال له شداد كر يا عبد فقال له العبد لما يحسن (forte تحسن) الكر الا الحلب والصر فقال له كر فانت حر فكر واستنقذ الاموال فصار حرا hoc est: *Antara fuit filius servae. Ideo pater ejus Scheddâd eum non ut filium agnoscebat, sed Abd* (servum) *nominabat. Postea tamen in bello quodam ipsum ut filium agnovit. Scilicet in tribum quandam hostes aliquot excurrerant; Scheddâd autem, cum fugatus esset, dixit Antarae: impetum fac, o Abd* (serve)! *tum Abd* (servus) *ille ei respondit: profecto nullo modo ad irruendum incitas, nisi* (per opera servilia) *quod debeam nunc mulgere camelos, nunc earum papillas, ne lactent, nodo colligare. Sed vero reposuit ei pater: Si impetum feceris, liber eris. Irruit igitur opesque recepit. Itaque liber evasit.* — Haec quidem congruere videntur cum hisce verbis Fragmenti IV. وكان ابوه ينكره لسواده ودناءة امه ثم قبله واعترف به حين ابلي وراي منه ما لم يره من احد من الحما . . والحود والدهاء id est: *Primum quidem ob nigritudinem ejus matremque ignobilem eum ut filium non agnovit pater, dein tamen, quem talia vidisset patrare; qualia nullum alium, eum sibi filium adsumsit.* — Sed nihilominus haud dubie dissentit Tebrizius ab auctore Fragmenti I, tametsi uterque plu-

plura habet eadem, et iisdem ſaepe locutionibus expreſſa. Hujus enim Fragmenti pars haec est: فغشيهم يوما غارة فحمل فقاتله قتالا صعبا ثم وقف فقال له عمه كر يا عنترة فقال لا تحسن العبد الكر الا الحلب والصر فقال كر وقد زوجتك ابنتي عبلة وانت ابن اخي فاستحلفه يومين فكر وابلي *Equites aliquando incurſantes cum et ipſe adortus esſet, difficilique certasſet pugnâ, ecce ſubſtitit. Patruo autem eum exhortanti: Antara! impetum fac! respondet hic: Nullo modo excitas Abd* (ſervum) *ad irruendum, niſi* (per opera ſervilia) *quod debeat nunc mulgere camelos, nunc earum papillas, ne lactent, nodo colligare. At vero regerit ille: Irrue modo! Ablam filiam meam tibi collocabo, tuque ut filius fratris mei agnoſceris. Ad haec, postquam jurejurando patruum obſtrinxerat Antara, irruit magnamque edidit ſtragem.* — Utra harum narrationum vera ſit, forte nemo facile dixerit.

Utut est, *intrepidi animi illius laudes* praedicant auctores Fragmentorum I et IV, vocantes eum من اشر الناس باسا. Ita Cl. de Sacy *Notice* cit. p. 18. eum itidem dicit „ un des plus braves guerriers de la Tribu d'Abs " Immo, quod praecipuam vim habet, *princeps Abſitarum* vel a Modreko, dente licet maledico eum carpente, est agnitus. Et ab omnibus laudatur tanquam احد فرسان العرب الذين جل شانهم وعظم امرهم (Reisk. p. XXXIII). Neque ſane illud testimonium refellit ipſa ejus Moallakah; in eo enim carmine testes virtutis ſuae bellicae fidenter appellat; immo veriſſimum illud testimonium esſe aperte demonſtrat, ut hoc carmen, ita tributum ei agnomen, de quo ſupra in notis monitum est عنترة الفوارس et ابو الفوارس, uti infra in not. ex peculiaris de eo libri titulo patebit. Huc inſuper facit id, quod Cl. Reiske p. XXIII. uti et de Sacy l. c. addunt, conſtare jam ſupra nomina-

natum heroëm Dhemdhem, ab Antarâ victum et interfectum esſe (*f*).

Nec tantum *heroicam* ejus *virtutem* uno ore laudant omnino omnes, ſed et celebratur quoque inſignis ejus *liberalitas*. Sic Fragm. I. vocatur اجود الناس بما ملك يدا. Gloriatur ibidem: اوفي المغنم واعف عن المسالة واجود بما ملكت. Et Fragmento IV. itidem praedicatur اجود الناس بما يملك. Neque eum ipſa ejus Moallakah ut tenacem proponit. Legimus enim vs. 37 et 38.

ولقد شربت من المدامة بعد ما ركد الهواجر —
بزجاجة صفراء ذات اسرة —

Et vs. 40. واذا صحوت فلا اقصر عن ندي —

Vs. 46. — واعف عند المغنم

Tandem vs. 61. نبئت عمرا غير شاكر نعمتي —

Extollendum denique est, quo profecto maxime pollebat, *ingenium* ejus *poëticum*. Quam inſigne illud fuerit, infra ſuo loco in disquiſitione de ſtilo carminis uberius videbimus. Nunc vero tantum ea indicanda ſunt, quae illud aliunde demonſtrent. Et hoc quidem conſilio memorari meretur ejus facultatis ſpecimen, quod nobis exhibet Fragm. III. In eo quippe Thaälebita ſequentia testatur: كلما انشد قول عنترة بين يدي رسول الله صلعم قال ما

(*f*) His et addi poteſt, Antaram, heroëm inſignem, quodam dierum, ſtragibus inter Arabes celebrium, avum ſuum, victoriis clarisſimum, Moāwiam interfecisſe, قتل عنترة العبسي الفارس المشهور جده معاويه في احد ايام وقاة العرب المشهورة ut narrat Ibn-Challecân MS. in vitâ Ahnaphi n°. 304, unde vere a Pocockio in Spec. Hist. Ar. p. 48 dicitur: „Abaſenſis erat Antarah, iste decantatae inter Arabes for„titudinis *heros*." W.

ما وصف لي عربي قط فاحببت ان اراه الا عنترة *Quotiescunque coram Muhammede Antarae carmen recitabatur, dixit ille: nunquam mihi data est descriptio Arabis quem adeo videre optaverim, quam Antaram.* — Ibidem additur: وانشد بين يديه عللم ابيات عنترة التي منها

بكرت تخوفني الحتوف كانني اصبحت عن غرض الحتوف بمعزل
فاجبتها ان المنية منهل لا بد ان اسقي بكاس المنهل
فاقني حياءك لا ابا لك واعلمي انني امروي سامرت ان لم اقتل
ولقد ابيت علي الطوي واظله حتي انال به كريم الماكل ۞
قيل فلما انشد هذه الابيات بين يديه عللم قال ذلك القول
اي ما وصف لي عربي

*Recitati quoque sunt coram eo versus Antarae, inter quos sequentes:*

*Diluculo venit (illa), ut mihi mortis injiceret metum, ac si ego ego evitarem esse scopus cujusvis mortis:*

*Sed respondi ei: Utique mors est aquarium; non fieri potest, quin mihi praebeatur potus ex illius aquarii poculo.*

*Intemeratum igitur servato pudorem tuum, macte! et scito, me ejusmodi esse virum, qui noctu familiaria colloquia amet, si bello non immisceatur;*

*Nam interdum noctem diemque transigo famelicus, donec ita cibum honestum consequar.*

*Muhammed, post versus hos ipsi recitatos, idem dictum: nunquam mihi data est descriptio Arabis* etc. *repetiisse fertur.* — Unde, quanti poëticas ejus dotes ipse fecerit Muhammed, facile possumus colligere. — Definit tandem Fragm. III. in hisce: وفي امثاله السايرة

نبئت عمرا غير شاكر نعمتي، والكفر مخبثة لنفس المنعم ۞

quibus docemur inter *proverbia ejus celebratissima* esse vs. 61. Moallak.

Non tantum autem *heroico animo*, *munificentiâ* atque *ingenio poëtico* nobilitatus est, fed etiam *amoribus*, maxime cum Ablâ. Nomen illud عبلة, quod, fi appellativum est, *mulierem integrâ perfectâque corporis formâ* fignificat, plus quam femel in carmine fuo adhibuit, et hanc fuam amafiam diverfis etiam metonymicis locutionibus appellavit; nunc ام الهيثم *Omm-al Haithem* vs. 5, nunc ابنت مخرم *Ibnat-Mahrem* vs. 6, nunc ابنت مالك *Ibnat-Mâlech* vs. 43. idque cum ambiguâ allufione ad eorum nominum fignificationem. Haec autem Abla quaenam fuerit, haud fatis apertum est. Supra enim in Fragm. I. ea nobis defcripta est, ut filia patrui ejus, quaeque ei ut praemium victoriae in conjugem promisfa erat. Huic vero asferto repugnare videtur ipfa Nostri Moallakah; in eâ enim Abla dicitur inter hostes verfari et ad eos pertinere. Videfis vs. 2 usque ad 7 et 9, 57 usque ad 60. Porro vs. 7 auctor fatetur amore fe Ablae forte captum fuisfe, eamque concupivisfe, licet ipfos ejus tribules tanquam hostes necasfet; nunc tamen eam fincere amari. Deinde vs. 3 et 4. canit, fe post difcesfum amicae e valle Gjiwâ, ubi, dum ipfius tribus degerat in *Hazn* et *Sammaan* et *Morethfallem*, diverfata fuerat, ibi camelum ftitisfe, ut id ageret quod etc. Magis certum est habitasfe eam in valle *Gjiwâ*, ut ipfe dixit vs. 2 et, fecundum vs. 9, manfionem vernam cum familiâ fuâ habuisfe in Oneizatâni (*g*).

Et

(*g*) Fama amorum Ejus cum illâ per totum Orientem pervagata est, atque integris libris materiam tam vera de eo narrandi quam, ut folet, fabulas intermifcendi praebuit. Hinc ortus est liber, Fabulis fic dictis Romanenfibus fimilis et 60 voluminibus conftans, سيرة ابو الفوارس عنتر ابن شداد *Historia patris equitum*, *Antarae filii Scheddâdi*; qui historiam aurei Arabum ante Muhammedem faeculi continet, et clarisfimum

Et de *Vitâ* quidem Antarae nobis haec tantum innotuerunt. Vitae autem ejus satis incertiora sunt, ea, quae *Mortem* ipsi pepererunt, cum de mortis ejus genere dissensus sit inter scriptores. Reiskius quidem in Prolog. p. XXII eum a quodam, qui sub Muhammede Islamismum professus esset, occisum monet; sed p. XXXIII affert geminum ex *Ibn Doreidi Etymologico* locum, in quorum altero narratur Antarae necem illatam esse a *Wazr ben Gzaber*, *Nabhanio-Thayita*, qui deinde, ait V. C., ad Muhammedem accesserit, licet fidem Islamicam non amplecteretur, nono anno Hegirae, ut putat Reiskius, cum aliis Thaïjitarum legatis; in altero autem Ibn Doreidi loco traditur: heroëm nostrum, consentientibus Arabibus aeque ac doctis omnibus periisse per Thay. Solum Abu Obaïdam hoc non admittere, ut qui asseveret Antaram frigore periisse, jam grandaevum.

Etsi igitur de mortis ejus genere sumus incerti, memoriam tamen bonamque Antarae famam tantum abest, ut illa deleverit, ut has quidem etiamnunc ea, quae reliquit *Opera*, egregie tueantur. Etenim praeter Moall. supersunt et *alia*, in Hamasae opere confer-

mum Asmaï auctorem habet, teste Hagji Chalipha, coll. libro Germanico *Encyklopäd. Uebersicht der Wissenschaften des Orients*, p. 260. Hinc etiam ortus est alius, nisi forte idem liber, quem memorat Iones Comm. Poës. As. p. 327. sub titulo *Historia Antarae et Ablae*, quaeque forte idem etiam est liber cum illo *de Antarae et Ablae amoribus*, e cujus volumine 14 aliquot versus et carmen integrum Arabice edidit et vertit p. 391—397 quodque carmen etiam inde descriptum, omissâ translatione Latina, repetiit S. F. G. Wahl, in *Neue Arabische Anthologie*, tom. 2. p. 28 seqq. Prioris autem libri, cujus narrationes etiam nunc in Oriente recitantur, codicem 35 voluminibus nuper Cl. J. von Hammer in Oriente pro Caesareâ Academiâ Vindobonensi emit; uti refertur in *Allgem. Litteratur-Zeitung*, Jun. 1802. *Intelligenz-Blatt* n°. 96. p. 777 et seq. W.

ſervata ejus *Carmina*. Testis ſit, qui Prolog. XXXII. duo verſus citat Reiskius, quibus, ut ad idem carmen pertinentes, tres illi priores e Fragm. III. modo citati addendi ſunt. Testis ſummus Schultenſius in not. ad Prov. p. 38 alium verſiculum citans. Testis denique Arabſiades in Vitâ Timuri II. 248. edit. Mangerianâ, itidem duo laudans ejus verſus, quorum poſterior etiam a Lettio ad Caab ben Zoheir p. 104 affertur (*h*).

Hiſce quidem generatim obſervatis, jam eximie videamus

§. II.

(*h*) Addere liceat nonnulla aliorum loca, in quibus Antarae verſus, non in Moällakah inveniundi, citantur, praeter eos verſus illudque carmen, quae modo ex Joneſio laudavimus, ſi ea quidem ipſius Antarae ſint, non vero ejus tantum nomen prae ſe ferant. Verſum poëtae noſtri ſervavit Ibn-Challecân MS. in vitâ Albajeſii n°. 861. Tres verſus dedit Meidani MS. in Prov. 3418. Alios duo in Prov. 4338 et 5151, cujus poſteriorem exhibuit etiam Gjeuhari MS. in عرف. Supereſt etiam alius apud Schol. ad Diwân Hadirah MS. Carm. 4. vs. 15. Alium Mobarred inſeruit operi ſuo Câmel MS. p. m. 44. qui et exſtat apud Gjeuhari in ذرا. Duo tandem alios verſus ab oblivione vindicavit idem Gjeuhari, in thematibus عقق et قرف. Pertinerent huc etiam verſus 49 et tres ſequentes, in Amralkeiſii Moällakah obvii, ſi recte ſe haberet nota Lettii ad Amralk. p. 202, qui Tebrizium et Warnerum dicit referre, eſſe qui putent, quatuor illos verſus non eſſe Amralkeiſii, ſed adſcribendos Antarae. Vereor autem, ut, praeter alium errorem hujus notae ſupra jam obſervatum, etiam hic erratum ſit; in Amralkeiſii enim codice MS. Succarii, qui eſt in Biblioth. Leidenſi, hi verſus non Antarae ſed Taäbbetae Scherran tribuuntur; atque hoc totidem verbis confirmat Zouzenius in Scholiis MSS. ad illum locum, qui apud eum eſt v. 46: لم يرو جمهورة الأيمة الأبيات

## §. II.

### *De Moallakah Antarae Ibn-Scheddâd.*

Ante omnia verbo monendum, ſi hanc Moallakah dicam Antarae, non me obloqui nonnullis Arabibus, uti videri posſit ex verbis Reiskii l. c. p. xxiii. „ Pocockium (in Spec. Hist. Arab. p. 381) „ obſervasſe ex المزهر, quosdam pro *Antara*, الاعشي ſubſtituere, „ et loco *Haretae*, *Nabojam.*" Perperam enim ita de Pocockio credere Reiskium, cumque refutare hunc errorem, qui nonniſi ex male intellecto loco ortus est, jam indicavit Cl. de Sacy, in *Chrestomathie Arabe*, tom. III. p. 49.

Quae igitur Moallakah omnium conſenſu auctorem habet Antaram,

الأبيات الأربعة في هذه القصيدة وزعموا انها لتابط شرا اعني.

وقردة etc. Utrum autem hi verſus Amralkeiſii ſint an Taäbbetae Scherran, non hujus loci est inquirere.

Ex omnibus autem his ingenii ejus ſpeciminibus apparet, haud plane rejiciendum esſe judicium, quod de 6 vetustisſimis Arabum poëtis fert Abou-Bekr Ibn-Abd' Almelek, in (Jeniſchii) Commentatione de fatis lingg. Orient. p. xxii. وقال اشعر امرو القيس اذا ركب، وزهير اذا رغب، والنابغة اذا رهب، والاعشي اذا طرب، وعنترة اذا كلب، وجرير اذا غضب، „ *Amralcaiſus*, ut communis fert ſententia, ceteris „ poëticâ laude praeſtat, ſi in equum adſcendat (id est, ſi arma canat); „ *Zohairus*, ſi carmina amatoria luſerit; *Annabegat*, ſi moralia; *Alagſchaeus*, ſi laeta; *Antaraeus*, ſi acria et ſatyrica; *Gioraireus* tandem, „ ſi vehementes iras exerceat." W.

ram, quâ *Occaſione* ab eo compoſita ſit, nunc inquirendum est. Eam explicabunt Fragm. I et IV, uberius quidem prius. Quamobrem ea, quae huc ſpectant, ex illo referam: واذه جلس يومه ذلك فسابه رجل من بني عبس فذكر سواده وامه واخوته فعيره بذلك قال عنترة ان الناس ليترافدون بالطعمة فما حضرت انت مرفد الناس قط وان الناس ليدعون فيعرفون فما رايتك مغيرة قط فما وايل الناس وان اللبس يكون بيننا فما حضرت انت ولا اهل بيتك بخطة فاصلة واني لاحضر الباس واوفي المغنم واعفه عن المسالة واجود بما ملكت وافصل الخطة الصماء قال الاخر انا اشعر منك لسانا، واصبح منك وجها، واكرم منك حسبا، قال عنترة ستعلم ذلك وكان عنترة لا يقول يومين من الشعر الا البيت والبيتين في الحرب فانشاء يقول وهي اول قصيدة وهي المذهبة *Sedentem aliquando Antaram in conſesſu Abſita quidam ignominioſe allocutus est, memorans ejus nigritudinem, matrem et fratres, eaque illi exprobravit. Tum Antara: Utique, ait, commeatu quidem ſe invicem juvare ſolent homines, ſed tu nunquam ita adjuvasti; alii quidem in auxilium advocantur et ex ope ſuâ cognoſcuntur, ſed te nec unquam vidi in hostium terras grasſandi ergo excurrere, nec ad alios confugere; estque omnino inter nos disſenſus, necdum tamen aut tu aut tribules tui, quâ ille dirimeretur, attulistis conditionem: at vero ego virtutem bellicam ostendere, praedam reddere totam, nihil mihi petere, bonorum liberalis esſe, gravia negotia dirimere ſoleo. Alter respondet: te praesto ſermonis peritiâ, vultus pulchritudine et dignitate. Antara vero regerit: Jamjam ſcies hoc. Quibus dictis unum duove tantum carminis verſus recitavit de bello: et hi quidem verſus, cum ita canere coepisſet, fuerunt poëmatis aureis literis ſcripti initium.*

Bel-

Bellum illud, quod hac occasione his versibus et dein integrâ Moallakah suâ celebrandum sibi sumsit, idem est quod etiam in suâ Moallakah cantavit Zoheir. Hujus igitur belli historia, cum inserviat utrique carmini intelligendo, nobis jam describenda est.

Celebratur illud bellum (ut ducem hic sequamur cl. S. de Sacy l. c. p. 19 — 21), quod per 40 annos inter Absitas et Dhobjanitas gestum est, nomine belli Dâhes et Gobra. Ille quidem erat equus Keisii Ibn-Zoheir Dhobjanitae, haec autem equa Hamalis Ibn-Bedr Absitae. Cum autem aliquando alteri horum virorum cum altero convenerat, ut Dâhes et Gobra curriculum unum certatim facerent, et praemium victoris foret camelorum centuria. die constituto in lacunis condendos curavit Hamal pueros quosdam prope spatii metam, qui equum Keisii, ad eam ante Gobram pervenientem, repellerent. Et vero Dâhes equam praecucurrit; sed cum pueri subornati jussa exsecuti essent, ab Hamale stetit victoria. Missum tamen ab hoc Maleeum, Hodeifae fratris sui filium, victori praemium victoriae petiturum, Keisius lanceâ transverberavit indignabundus. Hodeifam placare statim conati sunt Dhobjanitae, centum camelos, ad satisfaciendum ei de filii caede, solventes. At tamen haud multo post, qui in hac compositione sese acquiescere ipse dixisset Hodeifa, ultionis gratiâ Dhobjanitam aliquem enecavit, negans simul, quam acceperat, restituere mulctam. Bellum igitur inter duas tribus exarsit; post cujus varios eventus, Dhobjanitis inducias obtulerunt Absitae, octo tribulium suorum principum filiis obsidum loco additis. Semia Ibn-Amru, cui hi obsides concrediti fuerant, cum mors ipsi instaret, filium vetuit, ne unquam eos de manibus demitteret, quippe a quorum conservatione pax penderet. Neglectâ prudenti Semiae admonitione, Hodeifa eos, in potestatem suam redactos, ad unum omnes de medio sustulit. Tum Absitae irâ incensi, bello instaurato, plurimos ex Dhobjanitis trucidarunt, quos inter praecipui fuerunt Hamal, per-

fidus iste Hodeifa et Harem Ibn-Dhemdhem. Novum conventum pacem redintegravit, fed nec eam diuturnam. Nam Hòfein, alter Dhemdhemi filius, cum ulcifcendi patris gratiâ Abfitam quendam interfecisfet, ad arma denuo itum est. At vero Abfitarum iram placavit Kharedja Ibn-Senan, vir natalium fplendore confpicuus, patri ejus, quem Hofein necarat, centum camelos de fuo pendens. Quo facto, ambae tribus fincerâ fide in gratiam reductae funt. Sola e Dhobjanitis familia Thaälebitarum paci repugnavit, donec, ab hostibus mox circumventa et fiti jamjam interitura, prudentibus monitis Auf et Makal Ibn-Semiae obtemperare et fic unanimo utriusque tribus voto asfentiri cogeretur.

Quam autem modo ex Fragm. I. repetivimus carminis *Occafionem*, ea *Tempus compofiti carminis* nobis indicat. Illud, fi Reiskium audias, (l. c. XVIII, XXI, XXII, XXXIII med.) incidit in initium quidem belli illius Dâhes, fed post Muhammedem natum, l. c. XVII; XXI. At vero fupra, praeeunte Cl. de Sacy, jam vidimus, exortum hoc bellum diu ante natum Muhammedem. Itaque Moallakah fuam Antara quoque diu ante natales Muhammedis condidit.

Sequitur, ut videamus de *Ordine, quo feptem carmina in codicibus collocantur*. Iam obfervavit Reiskius Prol. p. XXIII, uti ceteras, ita Antarae Moall. in aliis codicibus alium locum occupare. Eo ordine, quo apud magnum *Pocockium* in Spec. Hist. Arabum p. 381 exftant, leguntur in codice *Nahhâfi*, fcilicet Amralkeis, Tharapha, Zoheir, Labid, Antara, Hareth et Amru. Contra in *Tebriziano*, fexta est *Amru*, feptima *Harethi*. Anonymus (*i*) in co-

(*i*) Sic quidem dicit Reiske, l. c. p. XXII, fed is est *Ibn-Heschâm* اجن هشام coll. eodem p. X feq., five *Ibn-Heischâm* اجن هيشام, uti nomen ejus in illo cod. Leid. legitur. W.

codice fuo (Catalog. Bibliothecae Lugd. p. 472. n°. 63) illas difpofuit hoc modo: Amralkeis, Tharapha, Labid Antara, Zoheir, Hareth, Amru. In cod. *Zouzenii* ita digeruntur, ut primus inveniatur Amralkeis, 2 Tharapha, 3 Zoheir, 4 Labid, 5 Amru, 6 Antara, 7 Hareth. Idem ordo est in Codd. MSS. Bibliothecae *Parifinae* n°. 1415 et 1416, de quibus conferri potest Cl. S. de Sacy, *dans les Notices et Extraits de la Bibliothèque Nationale*, tom. IV. p. 309—317 fin. et ex Eo infra §. II. Nec diverfus ordo est in *Editione Jonefii*, nifi quod tres postremi occurrant Antara, Amru et Hareth. Verum enim vero Reiskius p. xix Prol. (ex fuâ opinione de cujusque carminis antiquitate) cenfet, ordinem chronologicum postulare, „ ut Tharapha gregem ducat," (funt ipfius V. C. verba) „ tum par fequatur, Amru et Haretz: post „ alterum ζυγὸν fuccedat, Antara et Zoheir: κέλης veniat tandem „ Amralkeis: οὐράγος denique Labid agmen claudat."

Quod ad *Genus hujus carminis* attinet, pertinet illud ad poëmata epico genere fcripta (conf. Reiskii Prol. p. xvii), qualia et Hamafa complectitur. Duobus membris, diftichon proinde facientibus, quisque verfus conftat. — In carminibus a fe editis, Panegyrico in Muhammedis laudem et Amralkeifi Moall., hanc quoque distributionem obfervavit Rev. Lette. Rhythmus finalis, qui vocatur قَافِيَةٌ, est in nostro carmine litera Mim cum Kesrâ.

Ita Cl. de Sacy l. proxime cit. p. 315 de hoc argumento: Genus verfuum, quo conftant Moallakât, est *Kassîda*. Quisque verfus, duobus conftans hemistichiis, rectius forte distichon cenfeatur. Ea duo membra five hemistichia eandem menfuram habent, posterius tantum rhythmum finalem, eundem femper ab initio ad finem carminis. In folo primo verfu prius hemiftichium terminatur eodem rhythmo finali, qui regnat per totum carmen.

*Metrum* hujus carminis dicit Jonesius p. 59 esse *iambicum*, uti poëmatis praecedentis, scilicet Labidi; quod igitur ad illud Labidi carmen p. 44 sic fusius describit: „ The measure is of the fifth „ class, called *perfect* verse, which regularly consists of the com- „ pound foot *benedicerent*, six times repeated, in this form:

„ Tria grata sunt | animo meo, ut | melius nihil,
„ Oculi nigri, | cyathus nitens, | roseus calyx.

„ But when the couplet admits the third epitrite, *pastoribus*, „ and the double jambus, *amantium*, it may be considered as „ belonging to the seventh, or *tremulous*, class; between which „ and the *perfect*, the only distinction seems to be, that the *tre-* „ *mulous* never admits the *anapestik* foot. They are both, in „ the language of *Europian* prosody, *jambics*, in which the even „ places are invariably pure, and the odd places always exclude „ the dactyl: when the uneven feet are *trochees* or *pyrrhicks*, „ the verses become *choriambick* or *peonick*; but of this change „ we have no instance in the poem before us."

Cum his in nonnullis convenit, in aliis ab his differt Cl. *Greve*, ad ultima Jobi, tom. II. p. 96 seq. cui metrum carminum Antarae et Labidi est ex Iambicorum trimetrorum sive senariorum „ primâ specie, كامل i. e. *perfecta* dicta, Lat. senario simillima, quae paribus locis iambum, imparibus cum iambum tum „ spondeum et anapaestum recipit: tribrachyn vero et dactylum „ refugit." Haec quidem Grevius: sunt tamen, qui velint, nec forte immerito, Latinum senarium tribrachyn nequaquam refugere iis sedibus, ac ne dactylum quidem.

Breviter haec de *Metro* dixisse sufficiat. Uberius tamen *Carminis hujus Argumentum et Conspectum* exhibere debemus. Carmen hoc ita decurrit, ut, praemissâ interrogatione, de Ablae domicilio a poëtis nondum cantato, per prosopopoeiam, faustâ apprecatione

ad-

adjectâ, ab hoc de illâ nuncium petat; in ejus quondam ſede ſibi tunc praecluſâ, nunc patente, ſe triſtitiâ retineri narret; ſalutationem ad illam manſionem, caram adhuc, quamvis deſolatam, iteret; et aditum ad Ablam ob tribules ejus, ſuos hostes, ipſam cingentes, difficilem, depingat. Post jusjurandum de amore ſuo, quamvis temere et in mediâ tribulium Ablae caede orto, tamen et calido et conſtante, triſtis quaerit, quo tandem modo illam a ſe distantem adeat.

Vereri fatetur, ne Ablae cameli, numeroſi illi pulcherrimique, utpote nigerrimi, omne paratum ipſis pabulum abſumturi ſint, atque adeo, ne Ablae tribûs Oneizâ quoque ſe movere cogatur, et ne clanculum ſe moveat.

Illum metum ex amore profluentem tribuit pulcherrimis amaſiae dentibus, oſculanti ſalivamque gustanti dulcisſimis. Specioſae enim puellae halitum fragrantisſimum deſcribit musci vas odore referre, aut pratum illibatum atque amoenum, pluviâ abundantisſimum, et in quo habitent muscae, ibi ſuſurro ſuo ebrii cantillantis ſonum exprimentes et brachiorum fricatu illum imitantes, quem edit manu mutilus, igni ex igniariis excutiendo operam dans.

Amaſiae commodos effert lectulos, dum ipſi in ephippio equi furvi, frenati et toroſi noctes ſunt transigendae.

Quâ ad Ablam perducatur camelo, eam ſibi exoptat validam; ne nocturno quidem itinere defatigandam, immo post illud etiam perniciter curſuram; adeo quidem, ut et vesperi festinare videatur una cum ſtruthiocamelo, cui juvencae adhaereant, ut pastori Aethiopi cameli Jemanenſes; quem, oculis intentis capiti ejus celſisſimo, cum carpento quippe alte collocato comparando, ſequuntur; nigerrimum, ut ſunt Arabum ſervi. Camelum porro, curſu ſe expedituram, ipſas adire dicit piscinas hostiles; ita volare, ac ſi effugere velit, quem in latere ſuo credat latitare, aelurum ſeque, ad eum converſam, laedere; tam parum tamen fatigatam esſe, ut ad ri-

ripas tam leniter procumbat, ac fi procumberet fuper arundinem ariditate ftrepentem; denique e cranii parte pone aures protuberantiore illius currentis cameli, omnino praeftantis, eo quidem modo emanare fudorem, quo robbus aut pix e lebete, in ignem dependente, ebulliunt.

Amafiae mores fuos equite fore dignos pollicetur, modo et illa decoris memor fit; folere enim fe, fi debitus ipfi tribuatur honos, fuavem fe praebere, fed, injuriâ illatâ, amarum.

De vino emendo et post meridiem e vafis pulchris potando jactabundus loquitur; de famâ gloriatur tantâ, quantae ne profufio quidem opum fuarum labem adfpergere posfit; nec non de potus post crapulam inftauratione; uti et de feminarum venustarum maritis humi ita ftratis, ut chalini inftar camelini fcapulae eorum fibilarent; deque ictu cito affectis tali, qui fanguinem eliceret tanquam draconis ruberrimum.

Amafiam, quae bello non adfuerit et equites petierit, docet, fe quidem validisfimo, praeftantisfimo equo, quem nunc contra hostes adigat, nunc ad fuos reducat, perpetuo infidere; pugnae, non praedae partitioni adesfe, testari posfe, qui praelio interfuerit. Saepe bellatorem, omnibus numeris abfolutum, rectâ hastâ fuâ mox confosfum; lanceâ fuâ armaturam ejus transfixam; feris dilacerandum traditum esfe. Saepius quoque gladio fuo monet divulfas esfe juncturas loricae amplae vexillarii, hyeme aleae et vini ftudiofi, cujus, a fe petiti, refert dentes nudatos; et die provecto necati extremos digitos caputque cruore tanquam glasto infecta; lanceâ transverberati, enfe fuo percusfi praeftantisfimo, fplendente, acuto; tali enim accinctus erat, ille, Antara, heros proceris-fimus, optime calceatus et nutritus.

Ob quam amore flagrat puellam, eam fibi interdictam esfe conqueritur. Se mifisfe dicit quandam, exploratum de illâ, quae refer-

ferret, eam a ſuis negligentius obſervari; et collo converſo, quod pulchritudine dorcadibus neutiquam cederet, reſpexisſe.

Contendit ſe expertum, raro gratiam beneficis perſolvi, idque eos abſterrere; in cruentiori ſtrage, quâ clamore ſuo lamentati fuerant heroës, patrui mandatum obſervasſe. Quum enim tribules ipſum ducem conſtituisſent, non prae animi demisſione defecerat, ſed vero fortiter certaverat; hostium catervas, in ſe certatim incurſantes, laudabiliter aggresſus fuerat; Sociis ſtimulantibus, equo, cui in pectus hostes alte inſigebant hastas, vectus, eos ſtraverat, donec ille ſanguine totus reſperſus esſet. Fiduciâ illâ, quâ ducti ſocii eum ſibi praefecerant, moerorem fatetur a ſe esſe depulſum. Equum ſuum ait ab hostibus, ita ferientibus, ſe avertisſe et hirritu ſuo receptum ab equite efflagitasſe; ipſique, ſi loqui potuisſet, vulnera expoſiturum ſuisſe. Equos alios ob curſum vehementem ſidisſe in terram laxam, tetricosque esſe vultu, quod tantum inter proceros esſent; camelos vero ſuos, quocunque agantur, obſequentes esſe, adjuvante ipſum ingenio ad propoſitum ſuum certo asſequendum.

Tandem optat, ut ante mortem ſuam Hoſein Haremque belli viciſſitudine pereant, idque optat ideo, quod immerito ipſius cum famam obſcuraverant, tum ſanguinem devoverant; quapropter eorum quoque patrem necatum feris jam tradiderat.

Agmen harum obſervationum claudat *Carminis Stylus.* Genium ſpirat vere orientalem; est enim abruptus, gravis, nobilis, imaginibus cujusvis generis exornatus, comparationum catenâ ab initio usque ad finem aeque vividus. Sic Reiskius: „ Character carmi- „ nis, inquit; habet aliquid εὐτράπελον, nihil tamen riſu dignum: „ majestatis contra plenum quoque est, ut terrorem incutiat; re- „ fert hominem ſibi permisſum, dicentem, ut impetus ferebat, et „ parum ſollicitum, quid artis regulae ſanciant. Nihil tamen in- „ cultum, nihil indignum, et ſi esſet, qui non est, neglectus ver-

„ borum cultus, haud parum decoris, ut in pulcra facie, affer„ ret." De ſtyli ejus genere cenſet Cl. de Sacy (*Notice hist.* cit. p. 21 fin.) Antarae ſtylum cum illo Amru magnam habere convenientiam, ſcilicet apud utrumque idem inveniri grande et ſublime dicendi genus. Breviter quidem, ſed more ſuo acute, ſic de eo judicat Joneſius Comm. Poëſ. Aſ. p. 84. „ Antarae carmen elatum „ est, minax, vibrans, magnificum, cum quadam etiam deſcriptio„ num atque imaginum pulchritudine." — Conſpiciamus tamen paucis praecipuas ejus dotes. In nervoſis, quos auctor in hac Moallakah reliquit, verſibus, demonſtrat ſe patrii ſermonis vim optime calluisſe. Verſus ſuaviter fluunt; et verbis artificioſe collocatis admodum ſonore decurrunt. Inter figuras, quibus carmen ſplendet, multum in primis pulchritudinis afferunt ſaepius repetitae et ſubita apostrophe et interrogatio emphatica. Comparationes nonnullas habet, quas ipſe Zouzenius apud alios ſe invenire non meminit. Deſcriptionibus nonnunquam utitur, ex. gr. equi ſui vulnerati vs. 69 et 70 elegantisſimis et tenerrimo modo affectus animi ſenſumque doloris ſui exprimentibus. Maxime amat, prae ceteris etiam Arabum poëtis, ſubſtantiva omittere, praeſertim in animalibus deſcribendis, eorumque loco epitheta adhibere, quae nonnullas eorum proprietates indicant, ut vs. 24. *auribus carens*, pro *ſtruthione*; aliisque locis. — Praeterea verba habet gravia et abſtruſa, ut hoc carmen, ipſo judice Reiskio, merito inter difficillimas Moällakât referatur; id quod jam ſupra ſignificavimus.

## §. III.

### *De Codicibus, Commentatoribus, et Editoribus.*

Ubi de *Codicibus* et *Commentatoribus* loquimur, id quidem non peculiariter de Antarae Moallakah intelligendum est, cum ea ſemper,

per, quantum novimus, five cum ceteris Moallakât, five cum aliis carminibus antiquis jungi foleat. Ita et omnes, qui nobis innotuerunt, codices fimul commentarios additos habent. Inter hos codices autem funt nonnulli, in quibus quaedam tantum Moallakât, alii in quibus omnes continentur; atque inter hos alii nomine tantum nobis cogniti, alii de quibus jam expofitum a VV. DD. Separatim igitur de fingulis agendum est.

Primo igitur loco memorandus est *codex*, *in quo non omnes Moallakât*, fed nonnullae tantum una cum aliis carminibus exhibentur. Indicat illum Cafiri in Catal. Biblioth. Escurialenfis tom. I. p. 71. ubi exftat codex exaratus absque anni notâ, quo continentur Poëmata fex principum Poëtarum, videlicet *Alcama*, *Amralkeis*, *Nabega*, *Antara*, *Tharapha* et *Zoheir;* quae Poëmata cum aliis e vetustisfimorum Arabum monumentis collegit ac publici juris fecit *Asmaeus Abu zaid Abd' almalek*, antiquitatum Arabicarum fcriptor peritisfimus, fecundo Hegjrae faeculo clarus.

Altero loco in cenfum veniunt *codices omnium Moallakât*, vel anonymorum vel minus clarorum interpretum. Et *Anonymi* quidem commentatoris videtur esfe *codex* Bibliothecae *Parifienfis*, n°. 1416 in Quarto, fcriptus A. 1024. Cristi 1615, quem vitiis fcatere, multas tamen easque infignes lectiones variantes habere testatur Cl. S. de Sacy, *dans les Notices et Extraits etc.* l. c.

Alium Anonymum posfedit *Jac. Golius*. Vid. Catal. ejus MSS. inter Libros Mifcell. MS. p. 16. n°. 12.

Exftat porro codex Moallakât *cum commentariis Abi Saïd* et *Abi Gjâber*, adjectoque *Nabegae* poëmate cum commentario, in Quarto majori fcripto A. Heg. 616. Christi 1219, in quo contextus tantum poëtarum puncta vocalia pasfim adfcripta habet, quemque posfedit Cl. *E. Scheidius*, fecundum Catal. ejus MSS. n°. 18.

Succedat alius *Ahmedis Ibn-Abd' allah Anfaritae Andelufii* feu *Hispani*, quem memorat Herbelot. p. 586 et ex eo Reiske l. c.

p. XI, in quo tamen, teste Herbelotio, non infunt nifi Glosfae aut Notae marginales ad explicanda difficilia horum Poëmatum vocabula.

Memorat etiam *Ibn Doreid*, apud Reiskium, l. c. commentarium *Abi Beer Mohammed Ibn al Cafem Ibn Beshar*, *Ambaritae*; qui nescio an idem fit ac polygraphus *Abou Beer Mohammed Ibn Abi Mohammed Ibn al* (vel *Abi'l*) *cafem Ibn Besfchar*, *Ambarita* (*k*).

Huc etiam quodammodo referri potest *Commentarius*; cujus auctor est *Alaëddin Ali Ben-Schemfeddin Mohammed altousfi*, qui nepos fuit Alridha, viventis fub Almamoune, qui eum fuccedere fibi in Chalifatu voluit. Est Bibliothecae *Parifienfis* n°. 1455 in Quarto; fcriptus A. 993. C. 1585 et defcriptus ex codice anni 655. C. 1257 adeoque antiquisfimus, (quo tamen longe antiquiorem infra defcribemus). Comprehendit ille etiam *Schanfari* et *Obaid ben-Alabras* carmen. Falfum titulum habet. In praef. dicit Alaëddin, fe fuum opus infignivisfe titulo *Mobarez al-Ahram* h. e. *le vainqueur de fes rivaux*. Scilicet carmina Moallakât accommodavit ad laudem Muhammedis ejusque fociorum. Cf. Cl. de Sacy l. proxime c.

Tertio loco memorandi in primis funt *Codices* quatuor commentatorum, *qui in Europâ potisfimum inclaruerunt*, funtque *Tebrizius*, *Nahhâs*, *Ibn-Heischâm* et *Zouzenius*.

Codicem horum primum Reiskius Prol. p. VII ob Commentarium *Tebrizii*, fingulis verfibus fubjectum, vocat *ex editione Tebrizii* n°. 292 in Catalogo Bibliothecae Leidenfis p. 472 cum Notis marginalibus L. Warneri. Scriptus est A. H. 1010. C. 1601. Ex eo Reis-

(*k*) Hic, teste Ibn-Chal. n°. 653, obiit Bagdadi A. 328, fecundum alios 327, eumque et memorare videtur Herbelot in Ambari, p. 114 et Schult. Additam. p. 707. W.

Reiskius edidit Tharaphae Moallakah, et felecta fcholia ad Zoheirum dedit Rofenmüllerus. Auctoris autem, qui pleno nomine dicitur *Abu Zacharja Jahja Ibn Ali*, *Al Tebrizi*, confilium in hoc commentario edendo ipfius verbis expofuit Reiske p. VIII et feq.

Alter codex in Bibliothecâ illâ est num. 628. eâd. pag. Tebriziano multo minor, ut fere putet Reiskius Prol. IX a fcribâ iftius codicis contractum opus *Ibn-Nahhâfi.* Exftat et ejus codex in Biblioth. Escurial. Cafiri tom. I. p. 79. Auctor est *Abu Gjaäphar Ahmed Ibn-Muhammed* (aliis Ibn-Ismael Ibn-Jounas) *Moradhita*, vulgo dictus (non Nahas; nec Ibn Nahas, fed) *Ibn-Nahhâs*, النحّاس. Cum ejus Scholiis edidit Lette Amralkeifum, et Rofenmüller Zoheirum.

Praeterea exftat in Catalogo Leidenfi eâd. pag. n°. 68 liber, cujus haec datur notitia: „ Septem Veterum Poëtarum Paganorum „ Poëmata olim in Caba i. e. templo Meccano fufpenfa, cum „ commentariis eorum, praefertim Ibn Heifchami. In fine est Poë- „ ma laudatorium in Muhammedem, authore Caab Ben Zehir." Conf. Reiske Prol. X. fin. coll. p. XXIII med. Conferantur et quae de hoc codice dicta funt, quando ordinem indicabamus, quo haec feptem carmina collocantur.

Tandem pervenimus ad codices *cum commentario Zouzenii.* Horum *tres* nobis cogniti funt. *Primus* est, quem in Bibliothecâ regiâ Parifinâ exftare jam indicaverat Reiske in Prol. p. XI fin. Codicem eum n°. 1415 defcribit Cl. de Sacy l. c. ut exaratum A. H. 982. C. 1574 et vocalibus inftructum, cuique, praeter commentarium, margini adduntur notae Grammaticae et historicae, ad fenfum utilisfimae.

*Duo alios Zouzenii codices* reliquit Cl. *E. Scheidius;* alterum in Quarto minori, fed fine punctis vocalibus, fcriptum A. H. 1044. cum carmine Caabi ben Zoheir in fine adjecto, coll. ejus Catalog.

 MSS.

MSS. n°. 17, quem emit v. Cl. *J. H. Pareau;* alterum codicem, omnium qui a nobis recenſiti ſunt, antiquisſimum, a Scheidio A. 1769 ex Oriente acceptum, ejusdemque Catalogi n°. 16 notatum, quem nunc posſidet Cl. *Willmet*, quemque ob ſingulares ejus dotes paullo uberius deſcribemus.

Auctor hujus praeſtantisſimi codicis in praefatione vocátur *Alkâdhi al Imâm alſeid Abou Abd' allah al Hoſein Ibn-Ahmed Zouzenius* (الزوزني), de quo conf. Herbelot p. 940 et Reiske p. XI et ſeq.

Codex hic, paginarum 253 in Quarto, bene conſervatus, multis nominibus ſe prae plerisque commendat. Antiquitate forſitan omnes in Europâ obvios ſuperat, quippe ſcriptus A. H. 545. C. 1150. Nec tantum antiquitate, ſed et maxime ſollicitâ curâ atque integritate. Librarius, cujus nomen indagare non potui, exaravit illum per integrum opus ſcripturâ admodum accuratâ et perſpicuâ. Literae enim, quibus ſcholia ſcripſit, mediae; quibus ipſa carmina, majores; quibus poëtarum nomina, et majores ſunt et rubro colore tinctae. Adpicta ubique ad textum aeque ac Scholia reperiuntur tam puncta vocalia, quam notae literarum diacriticae. Quin, quod in nullo unquam codice ipſe cl. Willmet vidit, puncta quaedam ſemper et ubique ſub literis د, ر, ص, ط, ع et parvula ح ſub alterâ poſita, ne dubium ſit, an forte pro illis literae blaeſae ذ, ز, ض, ظ, غ legendae ſint, aut litera ح pro خ habeatur; ita et ſub س tria puncta, ne cum ش confundatur.

Praeter *praefationem Zouzenii* p. 1 continet codex hic السبع القصايد المعلقات *Septem carmina Moallakât una cum* شرح *commentariis illius interpretis*, a pag. 2ª inde ad pag. 242 usque. Ex ordine ſupra exhibito *Amralkeis* occupat p. 2—60; *Tharapha* p. 60—102; *Zoheir* 102—124; *Labid* 124—167; *Amru* 167—192; *An-*

*Antara* 192 — 220; *Hareth* 220 — 243. Ad calcem horum carminum reperimus *Nabegae* poëma a pag. 243 ad 253 usque, itidem Zouzenii commentario et punctis vocalibus in textu et scholiis instructum.

*Textus* carminum talis est, quem nulla, quoad novi, maculent menda et summa commendet bonitas; haec enim maximum etiam inde accipit robur, quod (uti me monuit cl. Willmet) in omnibus iisque plurimis locis, quae ex Antarâ citat Gjeuhari, ejus lectio semper potius cum lectione codicis hujus quam aliorum interpretum conveniat. Neque hic obstat, quod aliquot versus, in uno alterove ceterorum codicum huic carmini inserti (confer Variantes Lectiones), hic frustra quaerantur. Quis enim affirmare ausit, hos reverâ deficere et genuinos esse, cum omnibus forte illis codicibus his antiquitate praestet, et hisce etiam missis, sensus poëmatis bene fluat, immo cum et Tebrizius et Ibn-Nah. nonnunquam moneant, hos versus a nonnullis addi.

*Commentarius* quoque optimus est, brevis et subtilis. Singulis fere versibus subjectus est. In eo plerumque hic ordo servatur, ut vocabulorum explicatio, si opus sit, praecedat, versiculorum singulorum paraphrasi unâ quin saepe pluribus subjunctis. Et sic quidem interpretari solet Commentator, quando sensus duo alicujus versus membra ea juncta postulat; cum autem haec sejungi debent, vocabulorum et sensus offendimus expositiones diversas. Connexionem quoque nonnunquam curat. Neque aliorum eruditorum sententias negligit, sed saepius memorat. Aliorum vero poëtarum versus ad dicta sua firmanda raro citat.

Praeter hunc commentarium Zouzenii, margo quoque codicis passim plures exhibet alterius auctoris notas, easque nonnunquam prolixas, et aliâ manu, sed brevi charactere, scriptas.

Postremam, nec tamen minimam codici dotem conciliant *Additamenta* illla *historica*, quae, brevitatis in citando causâ, *Fragmen-*

*menta* vocavi et e quibus, quatenus ad Antaram pertinent, ſupra in his Prolegomenis longe maximam partem attuli.

Adſunt ea vel in margine ſingularum Moallakât, ut quartum noſtrum, vel et in ſeparatis, ſed infixis, foliis dimidiis, uti tria priora noſtra, et ſingulis quinque poſtremis Moallakât praefiguntur. Inſcribuntur illa vel قصة vel قصة شعر continentque ex diverſis auctoribus varia fragmenta hiſtoriae literariae ad vitam poëtae ejusque carmen pertinentia: ita ad Antaram ſecundum eſt Kothrobi, tertium Thaâlebitae. Utilisſima ſunt illa ad rem hiſtoricam, neque vulgo in codicibus, quantum novi, obvia. Scripta tamen ſunt literis minuſculis et non tantum ſine vocalibus, ſed et ſaepe ſine notis literarum diacriticis, immo nonnunquam vetuſtate nonnihil detritis; quod damnum etiam notas marginales modo memoratas affecit.

Ex dictis apparet, reliquis omnibus codicibus, quos cognoſcere licuit, haud uno nomine palmam praeripere poſtremum Zouzenianum. Quamobrem ex *eo* quidem, quae hic libellus exhibet et textum et ſcholia, eâ, quâ poteram diligentiâ, tranſcripſi.

Neque tamen, licet ei plurimum jure tribuerem, ceteros neglexi, ſed rationem quoque habui collationis tum Editionis Joneſii tum praeſertim Codicum Bibliothecae Lugduno-Batavae, quam Vir cl. Willmetius olim ab ſe inſtitutam perhumaniter mecum communicavit; item verſuum, qui ab aliis ſive Arabibus ſive clarisſimis in Europâ ſcriptoribus (ut in Notis indicabitur) citati ſunt.

Cum autem in codice Ibn-Heiſchâmi ad ſingula hemiſtichia priora vulgaris nota diſtinctionis (،) addita esſet, quae tam in ceteris Leidd. quam in noſtro Zouzenii codice deerat, hanc ex illius apographo Willmetiano ubique adſcripſimus; praeſertim quia in hemiſtichiis diſtinguendis minime conſtans eſt Joneſius, nec tamen ea res parvi momenti eſt ad metrum.

Scho-

Scholiis *Arabice* tantum edendis, in neminis docti me putem incurrisse reprehensionem; idque eo minus, quo planius erit unicuique attendenti, eorum optima quaevis tam in versionem quam in notas *Latine* translata esse.

De *Editoribus* nonnullarum ex septem Moallakât jam diximus initio, et codices, ex quibus quaeque illarum edita est, in priore parte hujus §. indicavimus. Memoranda tamen adhuc est *omnium* horum carminum *Editio* et gemina illorum *Translatio*. Scilicet

*William Jones*, vir eruditissimus atque elegantissimus, cui literae Orientales tam in Europâ quam in Indiâ plurimum debent, Londini A. 1783. in Quarto majore, titulo: *The Moallakât, or seven Arabian Poems, which were suspended on the temple at Mecca; with a Translation and Arguments*, splendide edidit versionem Anglicam septem carminum Moallakât, cui, inde a pag. 103 usque ad 163, adjunxit textum originalem Arabicum, non vero Arabicis (nisi ad specimen codicis in unâ tantum paginâ), sed Latinis literis expressum; quod eo majorem difficultatem habet, quia Jonesius in his adhibendis literis pronunciationem Anglicam secutus est.

Hinc merito cl. S. de Sacy *Notice* p. 1. not. 2: „ On desireroit „ que l'auteur eut joint à cette traduction, comme il se l'étoit „ proposé, des notes historiques et critiques, et qu'il eut fait „ imprimer le texte en caractères arabes et non en caractères „ latins, ce qui en rend l'usage très-désagréable." Hinc et cl. Rosenmüller ad Zoheir p. 5: „ Cum in exprimendis verbis litte- „ risque Arabicis pronunciationem Anglicam secutus esset, simul „ vero tabulam adjicere oblitus esset, ex quâ lectores cognoscere „ possent, quasnam litteras latinas pro Arabicis posuerit, praeter- „ eaque typothetarum incuriâ vitia non pauca admissa sint, satis „ difficile est, carmina illa Arabicis litterarum elementis rescribe- „ re." Difficultas haec tanta visa est cl. Hartmanno, l. mox ci-

tando, in praef. p. VI, ut Arabicum illum textum ideo nobis plane nullius ufus factum esfe judicaverit (*l*).

Quod fi in textu, quem dedit Jonefius, aliquid defiderandum videatur, at infignem plenamque elegantiae laudem merentur ejus *Verfio* Anglica, et fingulorum carminum *Argumenta.* Verfio quidem illa originem dedit alteri verfioni, fere ad eam Jonefii factae, quam debemus cl. *A. Th. Hartmanno*, tunc Gymnafii Herfordenfis Prorectori, nunc LL. OO. Oldenburgi Profesfori: *Die hellftrahlenden Plejaden am arabifchen poetifchen Himmel, oder die fieben am Tempel zu Mekka aufgehangenen arabifchen Gedichte. Ueberfetzt, erläutert und mit einer Einleitung verfehen.* Münfter 1802. in 8°. min. Licet autem vir cl. Translationem Jonefii fere ubique, ut et Argumenta, Germanice fecutus fuerit, utilem tamen operam lectoribus rei Orientalis haud peritis praeftitit, tam Introductione generali ad omnes Moallakât, quam additis hic illic Notis, quibus praefertim mores nonnullos Orientales expofuit, aut fimiles quasdam locutiones poëticas ex aliorum operibus eleganter Germanice translatas attulit.

Atque haec in his Prolegomenis de Antara ejusque Moallakah dicenda habui; non quidem pro rei dignitate, quod lubens fateor, fed

(*l*) Difficultati igitur huic nuper, ingrato quidem labore, fuccurrere voluit *Alexius Boldyrew*, Phil. et A. A. LL. Magister, Jonefii fcriptionem Anglicis literis in Arabicas in duabus Moällakât transferens atque, additâ post praefationem tabulâ, Jonefii Orthographiam indicans, in libello *Duae Moallakât Antarae et Hareth;* fumtibus auctoris, paginis 14. Göttingae 1808 in 8°. minori edito. Sed nec hic ejus labor fufficit, cum puncta vocalia, quorum pronunciatio Anglica multo difficilior est quam confonantium, prorfus omiferit, et in harum etiam Orthographiâ nonnunquam erraverit. W.

ſed pro viribus meis, quae ſentio quam ſint adhuc exiguae et voluntate meâ minores. Senſus autem hic etiam me prohibuit, quo minus ipſi *Carmini* ejusque *Translationi* aliud quid adderem, praeter *Varietatem lectionis* ſupra memoratam, quae mox ipſi Carmini ſubjungetur, additis verſibus in aliis codicibus inveniundis. A *Notis* vero ad ipſam hanc Moallakah, quas jam ad aliquot verſus ſcripſeram, eo magis abſtinendum duxi, quod cl. Willmetius *uberiores ſuas Obſervationes*, quas ad ſingulos fere verſus, quamvis alio conſilio, compoſuerat, huic opusculo addere mihi benevole permiſit; quae igitur ei coronidem imponent.

# ANTARAE MOALLAKAH.

قال عنترة بن شداد العبسي

1 هل غادر الشعراء من متردم ،

أم هل عرفت الدار بعد توهم ۞

2 يا دار عبلة بالجواء تكلمي ،

وعمي صباحا دار عبلة واسلمي ۞

3 فوقفت فيها ناقتي وكأنها ،

فدن لأقضي حاجة المتلوم ۞



وتحل

4 وَتَحُلُّ عَبْلَةُ بِالْجِوَاءِ وَاَهْلُنَا ،
بِالْحَزْنِ فَالصَّمَّانِ فَالْمُتَثَلَّمِ ۞

5 حُيِّيتَ مِنْ طَلَلٍ تَقَادَمَ عَهْدُهُ ،
اَقْوَى وَاَقْفَرَ بَعْدَ اُمِّ الْهَيْثَمِ ۞

6 حَلَّتْ بِاَرْضِ الزَّائِرِينَ فَاَصْبَحَتْ ،
عَسِرًا عَلَيَّ طِلَابُكِ ابْنَةَ مَخْرَمِ ۞

7 عُلِّقْتُهَا عَرَضًا وَاَقْتُلُ قَوْمَهَا ،
زَعَمًا لَعَمْرُ اَبِيكَ لَيْسَ بِمَزْعَمِ ۞

8 وَلَقَدْ نَزَلْتِ فَلَا تَظُنِّي غَيْرَهُ ،
مِنِّي بِمَنْزِلَةِ الْمُحَبِّ الْمُكْرَمِ ۞

9 كَيْفَ الْمَزَارُ وَقَدْ تَرَبَّعَ اَهْلُهَا ،
بِعُنَيْزَتَيْنِ وَاَهْلُنَا بِالْغَيْلَمِ ۞

10 اِنْ كُنْتِ اَزْمَعْتِ الْفِرَاقَ فَاِنَّمَا ،
زُمَّتْ رِكَابُكُمُ بِلَيْلٍ مُظْلِمِ ۞

مَا

11 ما راعني إلا حمولة أهلها،
وسط الديار تسف حب الخمخم

12 فيها اثنتان وأربعون حلوبة،
سودا كخافية الغراب الأسحم

13 إذ تستبيك بذي غروب واضح،
عذب مقبله لذيذ المطعم

14 وكأن فارة تاجر بقسيمة،
سبقت عوارضها إليك من الفم

15 أو روضة أنفا تضمن نبتها،
غيث قليل الدمن ليس بمعلم

16 جادت عليه كل بكر حرة،
فتركن كل قرارة كالدرهم

17 سحا وتسكابا فكل عشية،
يجري عليها الماء لم يتصرم

وخلا

18 وَخَلَا الذُّبَابُ بِهَا فَلَيْسَ بِبَارِحٍ ،
غَرِدًا كَفِعْلِ الشَّارِبِ الْمُتَرَنِّمِ ۝

19 هَزِجًا يَحُكُّ ذِرَاعَهُ بِذِرَاعِهِ ،
قَدْحَ الْمُكِبِّ عَلَي الزِّنَادِ الْاَجْذَمِ ۝

20 تُمْسِي وَتُصْبِحُ فَوْقَ ظَهْرِ حَشِيَّةٍ ،
وَاَبِيتُ فَوْقَ سَرَاةِ اَدْهَمَ مُلْجَمِ ۝

21 وَحَشِيَّتِي سَرْجٌ عَلَي عَبْلِ الشَّوَي ،
نَهْدٍ مَرَاكِلُهُ نَبِيلِ الْمَحْزِمِ ۝

22 هَلْ تُبْلِغَنِّي دَارَهَا شَدَنِيَّةٌ ،
لُعِنَتْ بِمَحْرُومِ الشَّرَابِ مُصَرَّمِ ۝

23 خَطَّارَةٌ غِبَّ السُّرَي زَيَّافَةٌ ،
تَطِسُ الْاِكَامَ بِوَخْذِ خُفٍّ مِيثَمِ ۝

24 وَكَاَنَّمَا تَطِسُ الْاِكَامَ عَشِيَّةً ،
بِقَرِيبِ بَيْنِ الْمَنْسِمَيْنِ مُصَلَّمِ ۝

تَأْوِي ،

25 تأوي له قلص النعام كما أوت،

حزق يمانية لأعجم طمطم ۝

26 يتبعن قلة راسه وكأنه،

حرج علي نعش لهن مخيم ۝

27 صعل يعود بذي العشيرة بيضه،

كالعبد ذي الفرو الطويل الأصلم ۝

28 شربت بماء الدحرضين فأصبحت،

زوراء تنفر عن حياض الديلم ۝

29 وكأنما تنأي بجانب دفها،

الوحشي من هزج العشي مؤوم ۝

30 هر جنيب كلما عطفت له،

غضبي اتقاها باليدين وبالفم ۝

31 بركت علي جنب الرداع كأنما،

بركت علي قصب أجش مهضم ۝

32 وكأن ربا او كحيلا معقدا،

حش الوقود به جوانب قمقم ۝

33 ينباع من ذفري غضوب جسرة،

زيافة مثل الفنيق المكدم ۝

34 ان تغدفي دوني القناع فانني،

طب باخذ الفارس المستلئم ۝

35 اثني علي بما علمت فانني،

سمح مخالقتي اذا لم اظلم ۝

36 واذا ظلمت فان ظلمي باسل،

مر مذاقته كطعم العلقم ۝

37 ولقد شربت من المدامة بعد ما،

ركد الهواجر بالمشوف المعلم ۝

38 بزجاجة صفراء ذات اسرة،

قرنت بازهر في الشمال مفدم ۝

فاذا

39 فاذا شربت فانني مستهلك،
مالي وعرضي وافر لم يكلم ۞

40 واذا صحوت فلا اقصر عن ندي،
وكما علمت شمايلي وتكرمي ۞

41 وحليل غانية تركت مجدلا،
تمكوا فرايصه كشدق الاعلم ۞

42 سبقت يداي له بعاجل طعنة،
ورشاش نافذة كلون العندم ۞

43 هلا سألت الخيل يابنة مالك،
ان كنت جاهلة بما لم تعلمي ۞

44 اذ لا ازال علي رحالة سابح،
نهد تعاوره الكماة مكلم ۞

45 طورا يجرد للطعان وتارة،
ياوي الي حصد القسي عرمرم ۞



يخبرك

46 يُخْبِرْكِ مَنْ شَهِدَ الوَقِيعَةَ أَنَّنِي ،

أَغْشِي الوَغِي وَأَعِفُّ عِنْدَ المَغْنَمِ ۞

47 وَمُدَجَّجٍ كَرِهَ الكُمَاةُ نِزَالَهُ ،

لَا مُمْعِنٍ هَرَبًا وَلَا مُسْتَسْلِمِ ۞

48 جَادَتْ لَهُ كَفِّي بِعَاجِلِ طَعْنَةٍ ،

بِمُثَقَّفٍ صَدْقِ الكُعُوبِ مُقَوَّمِ ۞

49 فَشَكَكْتُ بِالرُّمْحِ الأَصَمِّ ثِيَابَهُ ،

لَيْسَ الكَرِيمُ عَلَي القَنَا بِمُحَرَّمِ ۞

50 فَتَرَكْتُهُ جَزَرَ السِّبَاعِ يَنُشْنَهُ ،

يَقْضِمْنَ حُسْنَ بَنَانِهِ وَالمِعْصَمِ ۞

51 وَمِشَكِّ سَابِغَةٍ هَتَكْتُ فُرُوجَهَا ،

بِالسَّيْفِ عَنْ حَامِي الحَقِيقَةِ مُعْلِمِ ۞

52 رَبِذٍ يَدَاهُ بِالقِدَاحِ إِذَا شَتَا ،

هَتَّاكِ غَايَاتِ التِّجَارِ مُلَوَّمِ ۞

لَمَّا

53 لَمَّا رَآنِي قَدْ نَزَلْتُ اُرِيدُهُ ،

اَبْدَي نَوَاجِذَهُ لِغَيْرِ تَبَسُّمِ ۞

54 عَهْدِي بِهِ مَدَّ النَّهَارِ كَاَنَّمَا ،

خُضِبَ الْبَنَانُ وَرَاْسُهُ بِالْعِظْلِمِ ۞

55 فَطَعَنْتُهُ بِالرُّمْحِ ثُمَّ عَلَوْتُهُ ،

بِمُهَنَّدٍ صَافِي الْحَدِيدَةِ مِخْذَمِ ۞

56 بَطَلٍ كَاَنَّ ثِيَابَهُ فِي سَرْحَةٍ ،

يُحْذَيْ نِعَالَ السِّبْتِ لَيْسَ بِتَوْاَمِ ۞

57 يَا شَاةَ مَا قَنَصٍ لِمَنْ حَلَّتْ لَهُ ،

حَرُمَتْ عَلَيَّ وَلَيْتَهَا لَمْ تَحْرُمِ ۞

58 فَبَعَثْتُ جَارِيَتِي فَقُلْتُ لَهَا اذْهَبِي ،

فَتَجَسَّسِي اَخْبَارَهَا لِي وَاعْلَمِي ۞

59 قَالَتْ رَاَيْتُ مِنَ الْاَعَادِي غِرَّةً ،

وَالشَّاةُ مُمْكِنَةٌ لِمَنْ هُوَ مُرْتَمِي ۞

60 وكأنما التفتت بجيد جداية،

رشأ من الغزلان حر ارثم ۞

61 نبئت عمرا غير شاكر نعمتي،

والكفر مخبثة لنفس المنعم ۞

62 ولقد حفظت وصاة عمي بالضحى،

اذ تقلص الشفتان عن وضح الفم ۞

63 في حومة الحرب التي لا تشتكي،

غمراتها الأبطال غير تغمغم ۞

64 اذ يتقون بي الأسنّة لم اخم،

عنها ولكني تضايق مقدمي ۞

65 لمّا رأيت القوم اقبل جمعهم،

يتذامرون كررت غير مذمم ۞

66 يدعون عنتر والرماح كأنها،

أشطان بير في لبان الأدهم ۞

ما

67 ما زلت ارميهم بثغرة نحره،
ولبانه حتى تسربل بالدم ۞

68 ولقد شفا نفسي وابرأ سقمها،
قيل الفوارس ويك عنتر اقدم ۞

69 فازور من وقع القنا بلبانه،
وشكا الي بعبرة وتحمحم ۞

70 لو كان يدري ما المحاورة اشتكي،
ولكان لو علم الكلام مكلمي ۞

71 والخيل تقتحم الخبار عوابسا،
من بين شيظمة واجرد شيظم ۞

72 ذلل ركابي حيث شئت مشايعي،
لبي واحفزه بامر مبرم ۞

73 ولقد خشيت بان اموت ولم تكن،
للحرب دايرة علي ابني ضمضم ۞

74 الشَّاتِمَيْ عِرْضِي وَلَمْ أَشْتِمْهُمَا،
وَالنَّاذِرَيْنِ إِذَا لَمْ أَلْقَهُمَا دَمِي،

75 إِنْ يَفْعَلَا فَلَقَدْ تَرَكْتُ أَبَاهُمَا؛
جَزَرَ السِّبَاعِ وَكُلِّ نَسْرٍ قَشْعَمِ،

---

# ANTARAE MOALLAKAH.

## CECINIT ANTARA IBN-SCHEDDÂD ABSITA:

1. Ullamne reliquerint poëtae sedium *amasìarum suarum* ruinam, quam non carminibus velut restituerint?
   Certe tu, *Antara*, nonne, quam fueras suspicatus, agnoveris *amasiae* domum?
2. O domus Ablae, in valle Gjiwâ, nuncia mihi, quid praecedentes tui agant incolae!
   Tibi, domus Ablae, fausta procedat aurora ac fortunata!
3. Meam illic stiti camelum, (staturâ suâ similem
   Arci,) ut possem perficere, quod mihi, moras *ob luctum de amasiae discessu* trahenti, esset agendum.

4. Abla namque in illâ diversabatur Gjiwâ, cum nostra tribus
In Hazn Sammaanque et Motethsallem commoraretur.

5. Tu, *domus Ablae*, inter reliquas aedium ruinas sis salutata, cum cujus quondam incolis mihi jam dudum erat necessitudo;
Nunc tamen incolis, digressâ Omm-al Haithsem, vacua est atque nudata.

6. Eo in tractu, mei ubi habitant hostes, qui rugiunt instar leonum, illa diversatur: factum est itaque
Mihi difficile te quaeritare, o Ibnat-Machrem!

7. Hujus amore inopinans fui captus, ipsos licet eius tribules necassem ut hostes:
Quo tamen tui, *o Abla*, teneor desiderio, illud per vitam patris tui juro esse sincerum.

8. Tu enim, (ne dubites,) certe divertisti
In cor meum velut hospitium viri, quem amant et venerantur.

9. Quo tandem modo eam possim invisere, cujus quidem familia tempore verno commoretur
In utrâque Oneizâ, quo vero tempore nostra versatur in Gailam?

10. Si sedem mutare constitueris firmiter, tum quidem
Nocte caliginosâ vestri constringentur habenis cameli.

11. Nil *autem* me terret, nisi quod jumenta tribus ejus oneraria
Baccas chimchim medias inter habitationes sint absumtura.

12. Sunt

12. Sunt inter ea quadraginta duae, quae mulgentur, cameli,
Nigro illae colore, quali plumae breviores in alâ corvi nigerrimi.

13. *Scilicet, Antara, metuis Ablae tuae discessum*, nam te dentibus striatis, candidis, in sui abripuit amorem;
Illis, qui, dulces osculanti, suavem salivae ei praebent saporem.

14. Nam qualem musci vesica apud aromatarium spirat fragrantiam, talem mulieris halitus formosae
Oscula petenti tibi afflat ex ore, ante quam ipsos contigeris dentes:

15. Aut qualem exhalat pratum adhuc intactum, quod suis luxuriet herbis;
Quod quidem pluvia riget, sed nullum omnino inficiat fimetum, neque ullum pedis dedecoret vestigium:

16. Huic prato quaeque nubes affluens pluviâ, at frigoris expers ac venti, ita se praebet benignam,
Ut foveas omnes *candore atque ambitu* nummis argenteis relinquat similes:

17. Fundit ea pluviam largitate tantâ, ut nullâ non vesperâ
Super illud defluant aquae, non intermissae:

18. Quorsum secedant, nunquam inde depellendae, muscae,
Quae suo susurro potoris tremulum cantillantis exprimant sonum;

 19. Mus-

19. Muscae, quae, alterum si suum brachium alteri affricent, non alium edant stridorem

Atque ille, qui, manu truncatus, ad ignem ex igniariis exterebrandum incumbat strenuus.

---

20. *Abla quidem* vesperi maneque insidet strato, molli e tomento;

Sed ego in summo *equi*, nigricantis semperque frenati dorso, noctem traduco:

21. Quin loco lectuli, molliter farti, mihi est ephippium in *equo* pedibus toroso,

Quique lateribus carnosus atque elatus, loco quo cingitur est obesus.

---

22. Ad Ablae *autem* sedem deducatne me Schedanensis camelus,

Ita devota, ut lac interdictum atque uberis sit papilla resecta?

23. *Camelus*, quae in extremo etiam itinere nocturno dextrorsum ac sinistrorsum caudam jactet suam, corpusque in utramque superbe agitet partem;

Quae ungulae suae, quâ terram conterat calcando, properato gressu quatiat colles;

24. Quin *post nocturnum iter diurnumque* est etiam vesperi, ac si quatiat clivos

Proxime struthionis inter pedes, cui sint excisae aures radicitus:

25. *Stru-*

25. *Struthionis*, ad quem se conferant ipsius juvencae, uti se conferunt
Ad Aethiopem blaesumque pastorem *camelorum* ipsius Jemanensium agmina:
26. *Struthionis*, cujus verticem capitis, *defixis oculis*, illae sequantur ut indicem viae; illud enim refert
Pilentum, feminarum in usum pro tabernaculo alte collocatum:
27. *Struthionis*, *qui*, capite parvo, Dhsu'l Oschairah frequentat, *et* candore suo praestante
Est similis servo, longâ induto veste pelliceâ atque auribus mutilo.
28. *Camelus illa*, *quae*, ubi biberit ex aquis Dohrodâni, mox
Deflectens, aufugiat ab aquariis hostium;
29. *Id*que *tam cito*, ac si latus amoveat, latus suum
Dextrum, prae metu rudentis vespere, magno capite deformis *aeluri*;
30. Aeluri, lateri inhaerentis; quoties ad eum se flectit *camelus*
Irata, toties in eam obvertitur ille, unguibus scalpens dentibusque mordens:
31. Quae procumbat in tractu Ridâön, tanquam
Procumbat super arundinem, ariditate, cum frangitur, strepentem:
32. *Cujus* tandem, sicuti robbus aut concreta pix
*Ebulliant* e cucumâ, cujus latera in fomitem dependeant accensum,

 33. *Ita*

33. *Ita* scateat *sudor* e calvae parte pone aures eminentiore, cum illa, torva validaque,
Huc illuc in incessu superbe se agitat, nobilis instar, qui mordetur, admissarii.

---

34. *Itaque* tu, *Abla*, si coram me demittas calanticam, *me repudians*, equidem
Noverim quid deceat equitem, loricâ indutum.

35. Quas in me virtutes deprehenderis, iis *potius* debitam tribuas laudem; nam sane
Mei suaves sunt mores, quum injuriâ non afficior;

36. Sed eâ illatâ, utique horrenda est, quam refero, injuria;
Estque sapore, non minus amaro, quam colocynthidis.

---

37. Equidem vetustum bibo vinum, postquam
Meridiei ardor remisit; *vinum* fulgente, signato emtum denario;

38. *Bibo illud* e vitreo scypho, flavi coloris, lineamentis pulchre ornato,
Cui sinistrâ in manu adjungo *vas rostratum*, candidum, colo instructum, quale est regis.

39. Attamen cum bibo *vinum*, meas quidem dilapido
Opes; non vero eo magna mei laeditur fama;

40. Nam cum ad me *e crapulâ* redeo, non desisto a liberalitate;

Ea

Ea enim, ut scis, *o Amasia*, est mea indoles eaque mihi munificentia.

---

41. Saepe et mulieris, mundo quamvis haud egentis, omnium pulcherrimae, humi prostratum liqui maritum,
Ita ut partes carnis latus inter scapulamque ejus sibilarent instar oris anguli *cameli*, superius labium habentis fissum:
42. Eum meae praeverterant manus festinâ plagâ,
Ictuque penetrante adsperserant sanguinem, qui illum draconis referret colore.

---

43. Agedum, o Ibnat-Mâlech, interroges *modo* equites, *quis fuerim in pugnâ*,
Si ejus, ut nondum comperti, es ignara.
44. Ecce ephippio haud cessans insideo *equi* velocis,
Carnosi procerique, quem alternis vicibus vulnerant heroës:
45. Equum illum nunc expeditum emitto, ut vulneribus confodiam hostes, nunc vero ille
Ad *tribules* reducitur meos, qui arcus habent solidos magnoque sunt numero.
46. Poterit *quoque* tibi renunciare quisquis conflictui adfuerit praesens, me quidem,
Ubi praeliandum, irruere, a praedâ autem potiundâ abstinere.

47. Sac-

47. Saepius enim *adfuit* bellator, omni ex parte armatus, cujus abhorrerent viri fortes congressum;
Qui nec fugam properaret nec sese dederet:

48. Tali tantoque viro se mea manus praebuit liberalem, cum eum confoderit festinanter
*Lanceâ* qualiae, rigidis instructâ articulis, rectâque:

49. Ejus armaturam durâ transfixi hastâ;
Vir *enim* nobilis haudquaquam est sacrosanctus hastis:

50. Mox illum liqui escam ferarum, quae eum corriperent,
Pulchramque ejus digitorum pulpam extremam primoribus vorarent dentibus pulchrumque carpum.

51. Saepius etiam, quo loco conseritur lorica ampla longaque, commissuras transfixi
Ense meo, eas avellens ab ipso vexilli defensore, strenuitatis notis ornato:

52. Qui hyeme *quidem* agilis, erat manibus ad *versandas* aleatorias sagittas;
Et venditorum vini dilacerans signa, de nimiâ identidem reprehensus erat liberalitate.

53. Is simul atque oculos in me conjiciebat, descendebamque *ex equo*, illum petiturus,
Molares suos nudabat dentes, sed sane nequaquam subridendo suaviter:

54. Cum eo ita sum conflictatus die provecto, ut, tanquam

In-

Infectivâ herbâ, digiti ejus extremi caputque tingerentur cruore:

55. Eum hastâ *meâ* mox confodi, mox percussi
Indico *ense*, politi ferri celeriterque secante:

56. Heros erat adeo procerus, ut, vestibus amictus, magnam quandam referret arborem;
Quique indutus erat calceis e coriis bubulis succo spinae Aegyptiae praeparatis; neque erat gemellus.

---

57. O puellam, caprae instar pulchram, pro praedâ illi, cui licet, venatu capiendam!
Mihi *vero* est interdicta; ast utinam *mihi* interdicta non sit!

58. Mittebam ancillam meam, ejque mandabam: Abeas,
Ut res ejus pro me explores comperiasque.

59. Retulit *haec:* Hostes observavi caprae illius esse socordes,
Et cuilibet, qui cupiat, illam jaculandi dari copiam:

60. Respiciebatque illa collo converso, quale reflectit capreae pullus;
Pullus, inter hinnulos incedendo cum matre jam aptus ceterisque praestans, labiis superne nasoque albicantibus.

---

61. Diu expertus sum, me beneficia contulisse plura, pro quibus gratias egerit nemo;
Gratiae tamen neglectus animum benefici, *ne benefaciat*, reddit alienum.

62. Equidem patrui mei praeceptum illustri eà servavi die,
Quâ labiis contrahendis nudabantur pugnantium dentes:

63. In ferventissimo belli congressu, cujus non conquerantur
Viri strenui gurgites, nisi clamorem edendo bellicum:

64. Cum *mei tribules* hastarum *hostilium* vitarent cuspides, me sibi praemisso, has non refugi pavido similis,
Sed vero, ne meam virtutem *praeeundo* praestarem, locus vètabat nimis angustus.

65. Ubi magno numero approperasse videbam hostes,
Qui se ad pugnam stimularent invicem, impetum feci non vituperandum:

66. Clamabant: Antara! dum hastae videbantur,
In *penetrando* nigricantis *equi mei* pectore, longi puteales funes.

67. Non intermisi hostes prosternere, in equi extremo *considens* collo,
Admotus pectori, usque dum sanguine *tanquam indusio* esset vestitus.

68. At meum tamen *ideo saucium* sanavit animum, depulitque aegritudinem
Heroüm dictum: Heus tu, Antara, animose praecede.

69. Deflexit autem *equus ille meus* ob hastas, in pectus vibratas;
Lacrymisque hinnituque est mecum conquestus.

70. Quod si colloquium potuisset serere, edidisset querelas,

Et,

Et, si sermonem novisset habere, utique me fuisset affatus.

71. *Hostium* quidem equi praecipites in terram considebant mollem, tetrici illi vultu,

Quod essent inter equos, eosque omnes proceros; *instando ipsos fatigantes;*

72. Mei *autem* vectarii cameli, quocunque eos agerem, se praebebant obsequentes; succurrente mihi

Ingenio meo, dum ad firmum propositum *meum peragendum* incitabatur.

---

73. At vero metus est mihi, morte prius occumbere, quam fuerit

Adversa belli fortuna ad ambo Dhemdhemidas conversa;

74. Ad illos, qui meam contumeliâ vexaverant famam; licet *ego* neutrum eorum affecerim ullâ;

Quique, cum iis ne obvius quidem essem, meum devoverant sanguinem:

75. Dum tamen ita me insequebantur, equidem patrem eorum liqui

Escam leonum vulturisque cujusvis annosi.

# VARIETAS LECTIONIS

## AD

# ANTARAE MOALLAKAH.

Titulus carminis, quem e *Zouzenii* ceterorumque codicibus dedimus, in Apographo, a Scheidio ex alio quodam ejusdem commentatoris codice facto, est قصيدة عنترة الميمية *Carmen Antarae, quod terminatur in Mim.* — قال) Leidd. وقال, ut sic hoc carmen cum praecedente connectatur. — عنترةَ) male Jonesius عنترةٍ; nam non solum in Fragmentis citatis et a Gjeuh. in فلاح scribitur sine Nunnatione, verum etiam in illis Fragmm. Genitivus non datur cum Kesrâ sed cum Phatâ, quippe Nominis Proprii ejusdemque Diptoti. — بن) male Ibn-Heischâm ابن, cum in codd. accurate scriptis ابن tantum detur, si initium sit sensus aut ejus membri, بن vero, si id ab alio vocabulo pendeat. — بن شداد) desunt Jonesio, sed exhibet Tebrizius بن معاوية بن شداد بن قراد; conf. Proll. p. 7. in Not. In margine codicis nostri additur قال هو

هُوَ عَنْتَرَةُ بْنُ شَدَّادِ بْنِ مُعَوِيَةَ بْنِ قُرَادٍ الْعَبْسِيُّ.

*Versui* 1 praemittuntur in codice Ibn-Nahhâsi duo versus. quos vero nec ceteri codices nec Jon. agnoscunt:

اعيال رسم الدار لم يتكلم،
حتي تكلم كالاصمّ الاعجم ۞
ولقد حَبَسْتُ بها طويلا ناقتي،
ترغوا الي سُفْعِ الرقاكد جثم ۞

Loco ترغوا in codice legi quoque potest نرغوا; prius tamen praetulerim. Pro الرقاكد vel الرواكد, quae nihil significant, legerim الرواكد, ita ut ر minus perspicue scripta sit habenda, et duo puncta literae ق pertineant ad superioris hemistichii vocem طويلا.

Illorum autem versiculorum translationem exhibiturus, non possum, quin, omni tam scholio quam aliâ conversione destitutus, et de ipsâ lectionis veritate dubitans, hanc qualemcunque meam timidius adscribam:

*O domestici! reliqua non reboarunt habitationis vestigia,*
*Ita ut, surdi instar barbari, nullum ederent sonum.*
*Attamen profecto diu in eâ meam retinui camelum,*
Quae *chytropodibus admugit eorum, qui* illic *requieverunt*
*sunt*que *commorati.*

Hos versus tantum abest, ut genuinos esse putem, ut mihi a non nemine orti videantur, qui, abrupti carminis initii elegantiam haud perspiciens, illud aliquo modo supplere voluerit.

In ipso autem Ibn-Nah. codice iis praemittitur observatio sequens: قال ابو جعفر انشدني محمد بن ايوب في هذه القصيدة ثلثة ابيات لم اسمعهن من غيره وزعم أنّ ابا العبّاس الخُراسانى انشده ايّاهنّ عن ابن قادم منهنّ بيتٌ بعدُ قوله، هل غادر الشعرا من متردم، ومنهنّ بيتان في اول القصيدة وهما .·. اعبال etc.

*V.* 1. متردّم) uti et in scholiis Zouzenii; Ibn-H. et Jon. متردّم; Tebriz. et Ibn-Nah. vocalibus hic carent. — الدارِ) Jon. الدارُ.

Codices Ibn-Nah. et Ibn-Heisch. hic inserunt versum, quo carent tum ceteri tum vero Jon. Neque eum ibi habet Rosenmüllerus ad Zoh., ubi hemistichium posterius versus 1. simul cum v. 2. citat.

دار لآنسة غضيضٍ طرفُها،

طوح العُناق لذيذة المتبسّمِ ۞

لآنسة) ita recte legisse putaverim Ibn-Nah in textu scholiisque; non item Ibn-H. لآنة. — طوح) sic Ibn-Nah.; sed jure, ut nobis quidem videtur, exhibet Ibn-H. in textu et schol. طوع. — لذيذة) ejus loco recte لذيذة apud Ibn-H., etiam in schol.

Hujus quoque versiculi cum dubia sit lectio, mihi iterum, ubi lapsus fuero, indulgentiam a lectore exspectare certe licebit. — Pro

Pro عضبض e loco simili apud Caäb ben Zoh. vs. 2. omnino legendum duxi غضبض.

*Domum, quae tuae fuit sociae, oculos suos demittere solitae;*
Cui est *facilitas capellae, hujus*que *in subridendo suavitas.*

Ad hunc autem versum, de quo in margine additur لبس في الزوزني, conferri potest observatio ad duo versus e codice Ibn-Nah. modo allatos.

*V.* 2. بالجوا) Ibn-H. et Jon. بالجَوا, ut et vs. 4; Rosenmüller cum ي contra cett. codd. et schol. — تكلمي) sic et Tebr., Ibn-H., Zouz. in schol., Jon. et Rosenm.; sed Ibn-Nah. تكلمني. — وعمي صباحا) ut in omnibus et in Zouz. scholiis; Rosenm. vero dat. وعمي صبحا. Jon. (e scriptione Alexii Boldyrew, de quâ in Proll. p. 34. in Not.) وعمّي صباحا. — واسلمي) ut Zouz., Tebr. et Ibn-Nah. habent; Ibn-H. et Jon. legunt واسلم. — *V.* 3. وكاذها) Ibn-H. فكاذها; Jon. وكاذها. — لاقضي) Ibn-H. لاقضي. — المتلوم) uti et in Schol.; in Ibn-H. المتلوم. — *V.* 4. وتحل) Ibn-H. et Jon. وتحل. — عبلة) Zouz. et Ibn-Nah.; Jon. عبلة. — واهلنا) ut Tebr., Ibn-Nah. et Zouz., etiam in schol.; habent Ibn-H. et Jon. واهلها. — بالحزن) Zouz., Tebr., Ibn-Nah. et Jon. recte pro بالحز Ibn-Heischâmi. — فالمتثلم) Ibn-Nah. male, quamvis in schol. emenda-

datum, فالمتلثم. Jones. quidem ut in textu, sed Lam cum Dhammâ. — *V.* 5. حبيت) Ibn-Nah. حبيت. — واقفر) dubitabat recte Scheidius in Apogr. an non pro واقفر, ut habet Ibn-Nah. et Ibn-H. in textu sed non in schol., sit legendum, nam sic etiam, praeter Zouz., Tebr. et Jon. — الهيثم) male Ibn-H. الميثم. — *V.* 6. الزابرين) Ibn-H. الزابرين. — طلابك) Ibn-H. et Ibn-Nah. (sed posterior sine vocalibus) طلابها Jon. طلابك; cum ك etiam refert Abou-Obeidah in Tebrizii et Ibn-Nah. scholiis. — مسحرم) Tebriz. et citatus ei Abou-Obeidah مسحرم; Jon. (ut Boldyrew) مسحرم. — *V.* 7. علقتها) ut Zouz. ita et Ibn-Nah.; legit Ibn-H., etiam in schol., علقتها. — واقتل) ut Zouz. et Tebr.; unus Ibn-H. واقبل. — زعما) Tebr. زعما, et in schol. — ابيك) Jones. ابيك perperam. — بمزعم) Jones. بمزعم. — *V.* 8. غيره) Jon. غيره. — المحب) Ibn-H. المحب, sed Ibn-Nah. المحب. — المكرم) Ibn-Nah. الكرم. — *V.* 9. تربع) Jon. تربع. — *V.* 10. انزمعت) Ibn-H., etiam in schol., انزعمت vitiose. — ركابكم) Jon. ر. — *V.* 11. حمولة) Jon. ح perperam. — وسط) Ibn-H. et Jon. وسط. — تسف) Jon. تسف. — الخمخم)

المخدّم) ut Zouz., etiam in schol., Tebr., Ibn-Nah. et Ibn-H., sed الاعرابي apud Scholiastas Leidd. praefert المصْدم. Perperam autem Jon. e script. Bold. المخدع. — *V.* 12. اثنتان) Tebr. اثنشا. Jon. أثنتان. — حلوبة) solus Ibn-Nah. حمولة, pro quo tamen tam is quam Tebriz. in schol. alios dicunt legere خليّة, quod etiam explicant. — *V.* 13. تستبيك) unus Ibn-H. يستبيك, in scholio autem utrumque. — عذب) ut Zouz., Ibn-H. et Jon.; dat Ibn-Nah. عذبٌ. — مقبلة) Jon. ـة. Tebr. مقبلة. — للذيذ) Jon. لذيذ. — *V.* 14. وكأن) Jon. وكان. — عوارضها) Ibn-H. عوارضها. Unus Tebr. على مرضها, sed in scholiis recte. — *V.* 15. روضة) Jon. ة. — انفا) Jon. انفا. — نبتها) Ibn-H. نبتها. Tebr. روضها. — جمعلم) Ibn-H. جمعلم. — *V.* 16. بكر) Ibn-H. بكر. — فتركن) Tebr. فركن. Jon. e scriptione Bold. فتركنا. — قرارة) quod Zouz., Tebr. et Ibn-Nah. tam in textu quam in scholiis legunt; pro eo dat Ibn-H. حديقة. — *V.* 17. وتسكابا) Ibn-H., et in scholiis, وتسكابا. Jon. ut in nostro textu, sed ة. — فكل) Ibn-H. جكل. Jon. فكل. — دجري) ut dat Zouz. in textu, licet in schol. primam

 li-

literam duobus punctis ut Te insigniat; sic et Ibn-Nah. in schol.; Tebr., Ibn-H. et Jon. يجري. — *V.* 18. دبارح) ut Zouz., Tebr. et Ibn Nah.; Ibn-H. جنارح. — *V.* 19. هنجا يحك) Tebr. loco, quem indicabit V. C. in Not., غرد يسن, quod يسنّ et in schol. ad h. vs. memorat. Ibn-H. prius هنرجا; alios per Kesram, alios per Phatam legere observant Tebr. et Ibn-Nah. in scholiis; cum Kesrâ tamen Tebr. — يحك) Ibn-Nah. et Ibn-H. يحك. — ذراعه) deest in Ibn-Nah., sed aliâ manu superscriptum est. — المكب) Reiskius المنكب; Ibn-H. المكب. — *V.* 20. قمسي وقصبح) ut et Ibn-Nah. et Jon., sed Ibn-H. يمسي ويصبح. — سراة) Ibn-H. سراة; Jon. سراة. — *V.* 21. سرج) Ibn-H. سرج; Jon. سرج; sed Gjeuh. ut in textu. — الشوي) Gjeuh. الشوا. — ذبيل) Ibn-Nah. جنبل; Ibn-H. يبنبل; Jon. ذبيل. — المحترم) ut et Gjeuh., Ibn-Nah. et Jon. dant; Ibn-H. المخدم; Tebr, والمحترم, sed in schol. المحترم. — *V.* 22. تبلغني) quod et Tebr. et Ibn-Nah; datur ab Ibn-H. يبلغني; Jon. ut in textu, sed تبلغني et e script. Bold. تبلغنّي. — لعنت) Jon. ة. — مصرم) Jon. مصرم. — *V.* 23. السري نرياقة) sic Zouz. et Tebr., sed Ibn-H., etiam in schol., السرا سوارة; Ibn-Nah., et in schol.,

schol., السري موارة, qui tamen in schol. ريافة praefert, pro quo Tebr. esse dicit, qui موارة praeferant. — الاكام) Jon. أ hic et vs. seq. — بوخش) Leidd. بدان; Tebr. in schol. بدوتع. — مبثم) Jon. مبثم. — *V.* 24. وكانما) Ibn-Nah. et Ibn-H. فكانما; at Tebr. et Jon. e script. Bold. ut hic. — قطس) Tebr. اقص ut et Ibn-Nah., in cujus margine emend. اطس; Ibn-H., et in schol., اقض. — المنسمين) sic et Rosenm.; Ibn-Nah. المكسن, in schol. tamen ut hic, quod et Jon., nisi quod habet posteriorem Mim cum Kesrâ. — *V.* 25. قلص) uti et Tebr., et in schol., item Gi. et Jon. habent; Ibn-H., etiam in schol., حزق et Ibn-Nah. ac Gjeuh. in Cod. min. حزق, cui vero vocabulo nota corruptae lectionis superscripta est; in schol. suo habet Ibn-Nah. lectionem textus nostri. — يمانية) Ibn-H. ثمانية, sed in schol. ut Zouz. — *V.* 26. In Ibn-Nah. hic versus postponitur sequenti. — قلة) Jon. e script. Bold. كلة. — حرج) Jon. حرج, sed Gi. ut in textu. — *V.* 27. صعل) Jon. صعل; Ibn Nah. dat cum Kesrâ. — بيضة) Tebr. بيضة. — الفرو) ita et Ibn-Nah., sed Ibn-H. الفرو. — *V.* 28. الحرضين) Codd. Leidd. الحرمين, sed Gi. et Meidanius ut Zouz. Ibn-Nah. in schol. pro Hha habet Gjim. — تنفر) Jon. تنفر, Gi. ut hic; sed nihil differt. — *V.* 29. تناي) Ibn-H. et Ibn-Nah., etiam in schol., يناي,

 uti

uti et Jon. et Tebr. in schol., licet hic in textu ut Zouz. — دفّها) Tebr. كغها sed in schol. cum Dal; Jon. دفّها. — هزج) Jon. هزج. — مُاوم) Leidd. موّوم; Jon. e script. Bold. موّوم, ita et Ibn-Nah. in schol. — *V.* 30. هرّ جنبب) Ibn-H. et Jon. هرّ جنبب. — عطفت) Jon. عطفت. — غضبي) Ibn-H. غضبي. — اتّقاها) Ibn-H. نفاها; Tebr. et Ibn-Nah. ut in textu, sed in schol. suis hic quidem exhibet تقاها, ille vero تقا لها.

Hic memorandus est versus, qui in codd. Leidd. et a Jon. inseritur, sed in Zouz. deest; de quo ceterisque insertis infra post vs. 64.

اجقا لها طول السّفار مقرمدًا
سندًا ومثل دعايم المتخيّم

اجقا) apud Ibn-H.; sed Tebr., Ibn-Nah, Jon., Reiskius l. mox c. et ipse Ibn-H. in schol. ابقي exhibent. — السفار) Jon. الزمان, sed Reisk. ut hic; sic Ibn-H. in schol. dicit: السفار يجوز ان يكون جمع سفر etc.

Quam Cl. Reiskius in Not. ad Thar. p. 68. coll. p. 72. hujus versiculi translationem dedit, ea quidem haec est:

*Reliquere ipsi itinera lateritio opere effultum* palatium, *aut ut columnae Scenopegi.*

At vero e suâ lectione ita vertit magnus Jonesius:

- *I continue all day on the well-cemented tower of her back, strongly raised, and firm as the pillars of him who pitches a tent.*

Hujus autem triumque sequentium versuum trajectio reperitur in diversis codd. Leidd. In cod. Tebrizii hoc ordine: etc. ابتغي, etc. بركت, etc. وكأن. In Ibn-Nah. etc. بركت, etc. وكأن, etc. بلّت, etc. ابتغي. In Ibn-H. ordine seq. etc. وكأن, etc. بلت, etc. ابتنا, omisso بركت. Versus autem, qui hic a verbo بلّت incipit, is uti in Tebr. deest, ita neque a Zouz. nec Jon. memoratur. In Ibn-H. sic se habet:

بَلَّتْ مَغَابِنَهَا بِهِ فَتَوَسَّعَتْ ،
مِنْهُ عَلَى سَعَنٍ قَصِيرٍ مُكَرَّمِ ۞

Ubi pro فتوسّعت Ibn-Nah., sed male, ut puto, فتوسّقت, et loco سعن dat سعن.

In hoc versu Latine interpretando haeream omnino necesse est. Etenim vera lectio est incertissima et pleraque ejus vocabula difficiliora sunt. Ne tamen laborem subterfugisse videar, do quod possum. — Pro سَعَنٍ legendum putavi سُعْنٍ et pro مُكَرَّمِ, e collato vs. 33 extremo, مُكَدَّمِ. Affixum ه in بِهِ e schol. Zouz. ad vs. 32 et 33. عرق interpretatus sum.

*Quo* sudore *ita madeant inguina ejus, ut, tumescendo, habere videantur*
*Inde pinguedinem eâ majorem, quam ostentare solet impotens, qui mordetur,* admissarius.

*V.* 31. جنب) uti et Ibn-Nah., sed Tebr. et Jon. ماء; habet tamen Tebr. in schol. جنب. — كانما) Jon. كانما. — *V.* 32. وكان) Jon. وكان. — ربا) uti Zouz. et Ibn-Nah.; etiam in schol. habent, sed Scheidii Apogr. ربا; Tebr. et Ibn-H. وربا, de quo Ibn-H. in schol. ربا يعني به الريش; Jon. ربا. — كحبلا — ربا. Jon. كـ et Ibn-H. كحبل. — معقرا) ut Zouz., Tebr. et Ibn-Nah. dant, Ibn-H. منعما. — الوقود) Jon. الوقود sed prius recte sese habere affirmant Ibn-Nah. et Tebr. in schol. — جوانب) Tebr. حوانب; Jon. جوانب. — *V.* 33. ذفري) Scheidii Apogr. et Tebr. دفري; Jon. e script. Bold. ذفري; Ibn-H. دفري, sed in schol. explicat in duali, quod et faciunt Tebr. et Ibn-Nah. — نرياقة) Tebr. et Ibn-H., etiam in schol., رياقة; sed Ibn-Nah., Gi. et Jon. ut in textu. — الفنيق) Ibn-Nah. et Jon. العتيق, quorum ille id per الفحل explicat, ut et Tebr. et Ibn-H. lectionem textus exponunt; apud Jon. autem e scriptione Bold. est الفتيق. — *V.* 34. تغرفي) Ibn-H. تعرفي; Jon. تغرفي. — دوني) Gi. in v. غرف habet دون, sed Leidd. et Jon. ut Zouz. — القناع) Gi. ibid. القناع, uti et Jon. — طب) ut Zouz. et Gi; Ibn-H. et Jon. طب. — *V.* 35. بما علمت) Duo haec

vocabula in Tebr. post سهل leguntur. — سدح) Ibn-Nah. et Ibn-H, etiam in schol., sed Tebr., librarius in marg. Cod. Ibn-Nah. et Jon. dant سهل, id quod tamen Tebr. et Ibn-Nah. in schol. suis rejiciunt — مستخالفتي) Ibn-H. et Ibn-Nah., etiam in schol. مستحالفتي, quod interpretantur معاشرتي; Jon. e script. Bold. مستخالفتي, uti et Tebr. qui aeque atque Ibn-Nah. ex aliis profert مستخالفتي; dicit tamen Ibn-H. esse, qui legant مستخالفتي بالخا المعجمة واما احب بالحا المهملة، — V. 36. واذا) Leidd. et Jon. فاذا. — ظلمي) Apogr. Scheid. طلمي. — مُر) Jon. مَر. — مذاقته) Jon. مُ. — V. 37. رَكَد) Zouz. in schol. رَكَد, quod etiam dant Gi. et Jon. — بالمَشوف) ut et Tebr., Ibn-Nah. et Gi. sed Ibn-H., etiam in schol., بالمسوف; Jon. vero ut in textu, sed Mim cum Kesrâ. — المُعلم) quod Zouz., Ibn-Nah., Ibn-H. et Gi. legunt; Tebr. المغلم; Jon. ut in textu, sed prior Mim cum Phatâ. — V. 38. صفرا) Leidd. et Jon. e script. Bold. صفرا. — اسرة) Ibn-H. اسرت, sed in schol. ut hic. — بازهر) Jon. باصفر. — في الشمال) Tebr. بالشمال. — مفدم) Est مقدم in Tebr. et Ibn-H., qui tamen, ut et Tebr. et Ibn-Nah., explicat الذي عليه الفدام وهي خرقة تجعل علي فم الابريق. — V. 40. فلا) Leidd. et Jon. فما. — وتكرمي) Ibn-H. وتكرم; Jon. e script. Bold. وتكرم. — V. 41. وحليل) quod Zouz.,

Zouz., Tebr. et Ibn-Nah. legunt; Ibn-H. وخابِل, Gjeuh. وحليل, Jon. لُ. — لَا مُحْجِرٌ) Gi. لا مُحْجِرٌ, Ibn-H. لا ٬ محجن quem Commentatorem, licet eum ceteroquin in hemistichiis distinguendis fere secuti simus, hic quidem, verbi formâ id postulante, deseruimus; Jon. e script. Bold. محجرلا. — فرابدمه) Leidd. فرجمته; Jon. فرجمته. — *V.* 42. طعنة) Leidd. uti et Reisk. ضربة; Jon. ut in textu, item nonnulli in schol. Ibn-Nah. — ورشاش) Reisk. رشاش, Leidd. et Jon. ut in textu. — ذافذة) Tebr. et Ibn-Nah., etiam in scholio, ذاقذة. — *V.* 43. سالت) Jon. سلات, sed e script. Bold. سالت. — المخبل) Ibn-H. المحبل; Jon. المخبل. — بباذنة) Ibn-Nah., Ibn-H. et Jon. ببا جنت, sed Tebr. بيا اجنة. — تعلمي) Ibn-H. et Jon. تعلم. — *V.* 44. تعاورة) ut Zouz., Tebr. et Ibn-Nah. dant; Ibn-H. dubie, utrum تعاقرة an تعاقرة; Jon. تعاورة, sed Ibn-Nah. in schol. exhibet Re cum Phatâ. — *V.* 45. للطعان) Jon. e script. Bold. لا لطعان. — حصدي) Leidd. et Jon. حصن. — *V.* 46. يخبرك) Leidd. كِ; Jon. كَ; Schult. يخبرك. — مَن) Ibn-H. et Jon. مِن, Tebr. et Ibn-Nah. sine vocali. — اغشي) in Câmel اغش. — الوغي) Schult. et Tebr. الوغى, sed hic in schol. habet ut Zouz. — واعف) Schult. واعفّ; Ibn-H. واعف; ceteri sine vocalibus. — *V.* 47. ومدجج)

Su-

Superponitur tam in textu quam schol. vox معا, indicans, utramque lectionem admitti. Ibn-H. ومرحج ut et Ibn-Nah., sed hic vocalibus caret; Schult. et Jon. ومدجج; Scheidii Apogr. ومرحج. — كرة) Ibn-H. كرة. — ممعن) Jon. e script. Bold. ممنع; Schult., in Mon., ممعن. — مستسلم) Schult., in Deff., errore typographico مسسلم. — V. 48. له كفي) Leidd., Jon. et Schult. له بيداي. — بمثقف) Jon. بمثقف. Leidd. hic vocalibus carent.

Huic versui in Cod. Tebr. et apud Jon. subjicitur aliquis, quem nec Zouz. neque Ibn-Nah., Ibn-H. aut Schult. habent, quique in Tebr. sic se habet:

برحيبة الفرغين يهدي حرسها ،
بالليل معتس الدباب الضرم ©

حرس) Tebr. in schol. et Jon. recte جرس. — معتس) Jon. habet e script. Bold. معتس immo leg. س. — الدباب) Jon. ذيا et e script. Bold. cum ذ. — الضرم) Jon. e script. Bold. الضرم.

Huic quoque versiculo versionem elegantissimi Jonesii adjungere possumus:

*Broad were the lips of the wound; and the noise of the rushing blood called forth the wolves, prowling in the night, and pinched with hunger.*

V. 49. فشككت) Gi. وشككت. — الاصم) uti Meid., Gi., Zouz. tam



ad

ad h. l. quam ad Amralk., ut et Tebr. et Jon. legunt; Ibn-Nah. et Ibn-H. الطويل, ita et Schult., Sypkens, Schol. ad Caäb ben Zoh. vs. 55. et ad Amralk. vs. 20 ed. Lettii et Ibn-Nah. ib. Dicit tamen Tebr. ad nostrum locum, alios legere بالرمح الطويل اهابه, inter quos etiam Ahmedem Ibn-Iahjae esse refert Ibn-Nah. — القنا) Ibn-H. القني. — جمهرم) quod fere omnes citt. dant, Meid. جالمهرم; Ibn-H. جمهجرن contra rhythmum finalem in Mim. Jon. جمهرم. — *V.* 50. جزر السباع) Schult. جزرا للسباع; Jon. جزر السباع. Dubium autem est in Tebr., Ibn-Nah. et Ibn-H., an non sit جزرا لسباع. — ينشنه) forte Tebr. يشنبه. — يقضمن) Ibn-Nah. يقصمن, sed Ibn-H. صد. Jon. ما جبن uti et Tebr., cui tamen in schol. vulgaris lectio placet. — حسن جدلة) Leidd., Schult. et Jon. قلة راسه; hic e script. Bold. كلة. — *V.* 51. ومشك) Tebr. ومسك. — سابغة) Lette سابغة. — هتكت) Ibn-H. هتكت, Jon. e script. Bold. متكت. — الحقيقة) Jon. e script. Bold. خ. — معلم) utrumque apud Zouz., addito solito ايضا. — *V.* 52. ربذ) Ibn-Nah. et in schol., ربذ; Ibn-H. et alius in Ibn-Nah. schol. ربذ; Tebr. الربذ. — بالقداح) Sic quoque Ibn-Nah. et Reiskius; Ibn-H. كالقداح. — شتا) quod et Ibn-Nah., Reisk. et Jon. legunt; Ibn-H. اشتا. — هتاك)

Jon.

Jon. هتّاك. — *V.* 53. Non legitur in cod. Ibn-H.; in Ibn-Nah. autem postponitur sequenti. — فواجذه) Tebr. et Ibn-Nah. نواجذه, sed posterior in schol. ut in textu nostro. — لغير) Tebr. لتبر; Ibn-Nah. et Schult. جغير. — تبسم) Ibn-Nah. sine punctis literarum diacriticis, sed in schol. متبسم. — *V.* 54. Hic versus in nonnullis codd. ut et apud Jon. sequenti postponitur. — مس) Ibn-H. et Ibn-Nah. شن licet posterior in schol. مس praeferat, a quo differt Tebr., qui utrumque dici quidem affirmat, in schol. tamen شن mavult. — كانما) Ibn-Nah. كانه. — خضب) Ibn-Nah. et Ibn-H. حضب. — بالعظلم) ut et Tebr. et Jon. legunt; at Ibn-H. in textu suo بالعلظم, quod tamen in schol. melius legitur. — *V.* 55. بمهند) uti Zouz. et Leidd. habent, Jon. بمهندٍ. — *V.* 56. بطل) Tebr. in schol. cum Gjezmâ dat. — سرحةٌ) ut Tebr., Ibn-Nah., Câmel, Schult. et Reisk., sed Ibn-H. سرحة et in schol. سرحةْ; Jon. سرحةٌ. — يحذا) Schult. et Reisk. يحذي; Tebr. يجذي; Ibn-H. يحدي. — بتوام) Jon. بتوأم, sed Câmel etiam ut in textu. — *V.* 57. حرمت) Jon. حرمتِ. — وليتها) Jon. cum تَ. — تحرم) Ibn-H. تحرّم; Jon. تحرم. — *V.* 58. فبعثت) Tebr. فبعثت, qui et mox habet فتجسسي, sed Ibn-Nah. et Ibn-H. فتحسسي, eodem sensu; in Zouz. utraque lec-

lectio exhibetur, superscripto معا. — واعلمي) Ibn-Nah. et Ibn-H. واعلم, item Jon., sed Lam cum Kesrâ. — *V.* 59. سرقمي) Leidd. et Jon. سرقم. — *V.* 60. التنقنت) Ibn-H. النتت; Jon. e script. Bold. لتنقنت. — جراية) Tebr. in textu حراية, sed in schol. ut hic; Jon. ut hic sed ج. — الغزلان) Ibn-H, et in schol., الربعي; Ibn-Nah. العزلان quidem habet, sed praefert الربعي. — امرثم) Tebr. أمرثم. — *V.* 61. نبيت) Ibn-Nah. in schol. نبيت. — عمرا) Tebr. عمروا. — شاكر) Jon. شاكر. — مخبثة) Jon. م. — المنعم) Ibn-H. المنكم. — *V.* 62. حفظت) Tebr. et Ibn-Nah. حفطت; Ibn-H. et Jon. e script. Bold. حفضت. — بالضحي) Ibn-Nah. et Tebr. بالصحي, recte autem in schol.; Jon. ut in textu, sed ضّ, et e lect. Bold. cum ظ. — الشفتان) Jon. ن. — *V.* 63. الحرب) item Ibn-H. et Jon., sed Tebr., Ibn-Nah., Jon. in Comm. P. As. et Scheid. الموت; Tebr. et Ibn-Nah. etiam loco حومة الحرب alios habere affirmant غمرة الموت. — تشتكي) Ibn-Nah. et Ibn-H. يشتكي. — غير) Jon. الّا. — *V.* 64. ان يتقون) Meidan. اذا تتقون. — اخم) Ibn-H. أجم; Meid. احم; Reisk. credit اخم; item Jon. e script. Bold. — تضايق) Jon. تضايق. — مقدمي) Tebr. et Ibn-H. مقدم; Meid. مضيق repugnante rhythmo finali; sed forte, vel ex memoriâ ci-

citatur, vel ab alio poëtâ ad hanc Câsiam accommodatus est hic versus.

Illi in Leidd. subjiciuntur alii tres versus; quod et fit a Jonesio, qui post primum etiam quartum, non in textu sed in versione, interserit:

لَمَّا سَمِعْتُ نِدَا مُرَّةَ قَدْ عَلَا،

وَابْنَي رَبِيعَةَ فِي الغُبَارِ الأَقْتَمِ ۞

سمعت) Jon. سَمِعْتُ. — ندا) Jon. e script. Bold. recte ندآء.

وَمُحَلِّمٍ يَسْعَوْنَ تَحْتَ لِوَائِهِمْ،

وَالمَوْتُ تَحْتَ لِوَا الآلِ مُحَلِّمِ ۞

ومحلم) Jon. sine و sed quidem e script. Bold. — يسعون) Jon. e script. Bold. يَنْعَوْنَ. — الآل محلم) Ibn-H., Ibn-Nah. et Jon. آلِ مُحَلِّمِ.

أَيْقَنْتُ أَنْ سَيَكُونُ عِنْدَ لِقَائِهِمْ،

ضَرْبٌ يُطِيرُ عَنِ الفِرَاخِ الجُثَّمِ ۞

ايقنت) Jon. أَيْقَنْتُ. — ضرب) recte Jon. ضَرْبٌ. — الفراخ) male Tebr. et Ibn-H. in schol. الفراج. — الجثم) recte iterum Jon. cum ـُـ.

Ecce jam et horum versuum elegantem eruditissimi Jonesii translationem:

 *When*

*When I heard the din of* MORRA *raised in the field, and the sons of* RABEIA *in the thick dust,*
*(And the shouts of* DHOHOL *at the moment of assault, when they rush in troops to the conflict with all their sharp-biting lions,)*
*When even the mildest of the tribes saw the skirmish under their standards, (and Death* spreads havock *under the standard of the mildest nation;)*
*Then I knew with certainty, that, in so fierce a contest with them, many a heavy blow would make the perched birds of the brain fly quickly from every skull.*

Nunc quidem decem versus, qui a Zouzenio absunt, in aliis tamen codd. Antarae Moall. adjudicantur, exhibuimus. Eos, suo quemque loco, Carmini insertos attente legimus et perpendimus, sed etiamnunc alios auctores redolere nobis videntur. Sic ut, praeter monita in Proll. p. 31 et supra p. 61 in fin., haec afferam, quis est qui versus hic memoratos legerit, nec tamen sentiat, eos in initium Moall. non quadrare. Praeterea quae priore hemist. alterius versiculi occurrunt, eadem fere sunt, quae ipsius carminis vs. 3 leguntur, quod ab Antara ita scriptum esse non exspectandum videtur.

Qui vs. 1. subjicitur versiculus, ideo forte spurius censendus est, tum quia vocis الدار amplificatio, ibi data, abrupto initio non convenit, tum quia laudes amasiae suae Antara demum vs. 13 canere incipit.

Qui supra p. 68 occurrit versus, iterum suppositius videtur, quia Auctor in vss. praecedd. et seqq. in describendo cameli corpore nequaquam occupatur.

Sequens etc. جلت, si quis alius, repudiandus est. Etenim et ab Ibn-Nah. et ab Ibn-H., a quibus solis exhibetur, inter Zouz.

vs.

De formulâ jurandi عمرك et لعمرك *per vitam tuam*, ejusque diverso usu cum Nominativo aut Accusativo, fuse egit Gjeuh. in عمر; quem locum integrum etiam exhibet Cl. S. de Sacy, in *Chrestomathie Arabe*, T. III p. 16, coll. et Corani 15: 72 et Nâbega apud Sacy, T. III p. 74. — Quam accurati autem sint Arabes in

in sic dictis synonymis distinguendis, apparet ex Zouz. h. l. qui observat عُمْر, عُمُر et عَمْر significare quidem *vitam*, in jurejurando autem ea non adhiberi, nisi quando ع Phatâ insignita est. Cum vero poëta hic jurat *per vitam patris amasiae suae*, manifestum est non ابيك cum pronomine masc., ut dat Jones, sed ابيكِ cum pron. fem. ex omnibus codd. legendum esse.

Uti sensus maximae partis hujus versiculi satis perspicuus est et a Schol. expositus, ita tamen inter duas explicationes, quas ferunt duo postrema vocabula, difficilis est optio. Jonesius, ex notione *opinandi* in verbo زعم, cum mediâ Phatâ, unde مزعم est *res dubia et opinabilis*, ultimas voces ليس بمزعم vertit *that of my attachement there can be no doubt*, quod paullulum mutavit Hartmann *tiefgewurzelt;* ex sensu: Zouzenius vero ex notione *concupiscendi*, *concupiscentiâ laborandi*, quae in زعم med. Kesr. obtinet, atque ex quâ modo etiam زعما explicuerat per طمعا, *concupiscendo*, etiam hic مزعم exponit per مطمع *concupita res*, *concupiscibile*, ut dicit Golius, coll. loco Tim. in Lex. meo cit. ubi in altero hoc verbo fere eadem locutio est quae hic in nostro: طمع منها في غير مطمع *Avide*, *etsi eâ potiri non poterat*, *ejus potiundae erat cupidus;* unde locus noster huc rediret: *per vitam patris tui*, *non est res quam concupiscere liceat.* — Causam, ob quam id ei haud liceat, petit Schol. ex medio versu, scilicet poëtam amorem ejus avide optare, se vero eam obtinere non posse, quia, bello inter utriusque familias intercedente, amasiae consortio frui sibi non licebat. Similis explicatio verbulo forte datur in glossâ marginali codicis mei, cum illius auctor vocabula زعما et بمزعم inter se sensu jungere videatur: قوله زعما مصدر زعم زعما ليس بمزعم. Convenit sic glossa, quam dat Giggejus زعم في غير مزعم (ubi legen-

gendum est نَرِعم cum mediâ Kesrâ) *Avide optavit quod optandum non erat.* Favet quidem priori explicationi contextus v. seq.; posteriori autem locus in Vitâ Timuri et glossa Giggeji. — Suspicor equidem, uti jam saepius vidimus, poëtam iterum in ambiguo ludere et utramque vocabulorum significationem simul intendere, quasi diceret: *juro tibi* (o Abla) *per vitam patris tui*, *desiderium meum te potiundi esse sincerum*, *quanquam* (ob mutuas nostrorum inimicitias) *frustraneum.*

V. 8. Citat hunc v. Haririus, in libro MS. درة الغواص p. m. 7, ubi محب aliasque verbi حب voces explicat; ut et Schehâb-eddin Ahmed Chaffâgiensis, in Comment. MS. p. m. 30, qui totum hunc versum illustrat. — Assentiri vix possum Zouzenio, qui, ut videtur, مني cum نزلت construit, et hunc versum ita explicat ut amasia poëtae, abruptâ cum eo necessitudine, ex ejus corde in hospitium alterius viri, amati quidem et honorati, descenderit; non enim liquet eam hucusque cum nostro jam consuetudinem habuisse; videtur potius poëta de se ipso loquî. Forma tamen Passiva المحب, *elmohabbi*, *amatî*, (uti est in Zouz.) de eo etiam non convenit, cum itidem e nullo loco appareat puellam hanc amori Antarae amorem retribuisse; cujus potius contrarium fere ex v. 7 confici potest. Neque etiam المحب المكرم cum Jon. et Hartm. possunt sumi de ipsâ puellâ, *incolâ adamatâ et dilectâ;* hoc enim genus masc. vetat. Alia iterum explicatio datur in glossâ marginali codicis mei, quâ illa *He* in غيره refertur ad postremum enunciatum in passivo sumtum, *amatum et honoratum esse*, quamque, licet dubiam ob detritum prae vetustate codicis marginem, sic legendum putem: يقول غيره الها راجعة الي المعني الذي دل عليه هذا الكلام اي فلا تظني غير هذا الاحباب او الاجلال; sed videtur haec

haec explicatio vim vocabulis inferre. Posset quidem alia adhuc dari interpretatio, in quâ المحب Active deberet sumi: *Me enim derelicto descendisti in hospitium viri amantis et honorati; ne tamen putes me* (gemino illo nomine) *ab illo differre.* At vero neque hic sensus neque ille, quem ex mente Zouzenii et Jonesii vidimus, convenit cum poëtae metu v. 11 et 13, Ablam ex eo loco ad suas ipsius mansiones redituram esse; cum tunc potius ibi optare debuisset Antara, ut illa hospitium illud tam periculosi aemuli quam citissime relinqueret: nec praeterea *se ab eâ derelictum* esse poterat queri, cum nondum eâ potitus fuerit.

In re igitur tam dubiâ non tantum cum Ibn-Nah. in scholio legerim المحب *elmohibbi*, *amantis*, verum et liceat de ipso sensu coniecturam proponere. Nisi fallor, geminae significationi ex ambiguo, ut suspicabar, v. 7 captatae, respondet nunc utrumque nostrum hemistichium. Prius quidem hemistichium, ut et quando in altero se *amantem* dicit, respondet *minime dubio sinceroque amori*, quem ibi declaraverat et hic iterum confirmat; posterius respondet *frustraneae ejus spei de illâ obtinendâ*, cum *honor* ejus ejusque tribus inimicae eam spem irritam redderet. — Ex hac explicatione inest huic versui elegans et insigne acumen, quod in ceteris explicationibus desideratur; simulque cum *amore* conspicitur *honor* ille, quem hic heros, quamvis amore flagrans, illibatum servare noverat. Prisci enim Arabum poëtae semper gemino hoc nomine prodeunt, et in ipso etiam amore nec suum ipsorum nec tribus suae honorem unquam vilipendunt. Unde hic fere sensus per paraphrasin exsurgit: *Tu enim* (*ne igitur putes me non amplius esse eundem*) *ab eo inde tempore quo tui amore captus sum, habitas in corde meo, tanquam in hospitio viri, cui tam amor quam suus honor curae cordique est.* (vel *qui amat quidem sed et cui suus honor est.*)

In singulis autem verbis imago desumta est a more Orientali, quo

quis apud aliquem *descendit et diversatur ut hospes*, sicque in *hospitio* sacro sancto omnibus amicitiae et hospitalitatis juribus gaudet. Ad quod exempla in re notissimâ cumulare et longum sit et inutile: unum sufficiat ex Excerptis Hamasae p. 552: 6.

اذا نزل الاضياف كان عذورا علي الحي حتي تستقل مراجله ۞

*Quum hospites diversatum venissent, gravis erat — Toti familiae, usque dum posita essent ahena.* coll. Tebrizio in notâ. Imago etiam illa, in نزل et رحل ab introitu in diversorium, et exitu ex eo desumta, transfertur eleganter ad amantes; sic, fere eodem modo quo in nostro loco, apud Motenabbi MS. carm. 25: 3, p. m. 17: اذا نزلت في قلبه رحل العقل ۞ *Quando descendit in cor, abit sapientia;* observante etiam Reiskio, in *Proben der Arab. Dichtkunst aus dem Motanabbi*, p. 35. Idem obtinet in versu ex Vitâ Ibn-Chal., in Specim. Tydemanni, p. 98:

فخيل لي ان الفواد لكم مغني ۞

*Pectus enim meum mihi videtur esse gratum tibi domicilium.*

V. 9. Ex hoc loco Lexicon Golianum in verbo زور augeri potest, non quidem vocabulo مزار, ut nomine Actionis, مصدر, vulgo perperam Infinitivo dicto, *visitare*, seu *visitatio*, sed altero ejusdem significationis زيارة, quod Scholiastes addit. Prius etiam occurrit apud Zouz. ad Zoh. locum mox citandum; posterius Giggejus ex Firuzabadio recte hoc sensu addidit, sicque exstat in sententiis Ali Ibn-Abi Taleb, cod. m. n°. 103. زيارة الحبيب اطرا المحبة *Amicum visitare est amicitiam renovare.* Adhibetur etiam ab Abulola in Sekt-essend, carm. 1: 36: فجنبنا الزيارة والوصالا *atque prohibuit nos visere* eam *et adire;* uti vertit Gol. in Append. Gramm. Erp. p. 239. — Verbum ربع Golius tantum explicat *verno pabulo altus fuit*, eoque *pinguis et alacer evasit;* alia tamen hic

hic adest notio. Eam dat Zouz. اقام زمن الربيع *Commoratus fuit tempore veris.* Ita et مربع et مرتبع est *Mansio*, *domusve verna: ubi vere degitur pasciturve.* Conf. et schol. ad Har. III: 134. Sic etiam ironice Har. I: 32 adhibetur de homine cujus *domus verna* ibi *fpelunca* dicitur.

Illam autem *mansionem vernam* familia Ablae habebat in عنيزتين; de cujus quidem loci situ nihil novimus. Ex ejus autem formâ duali fuborta mihi est suspicio, non unum modo locum hic indicari, adeoque non cum Jonesio et Hartmanno *Oneizatain* vertendum esse. Suspicionem auxit quod Zouzenius aliter de Ablae quam de Antarae commorationis loco loquatur: de illo: بهذين الموضعين; de hoc vero, بهذا الموضع. Hinc verterem *in utrâque Oneizâ.* Confirmavit nonnihil hanc suspicionem meam, quod, perpetuus fere Antarae imitator Zoheir, in Moäll. v. 2, itidem, ad nostri exemplum, amasiae suae mansionem in duali exprimat, بالرقمتين *in Rocmatain*, ut Jonesius et Rosenm. dant, potius tamen *in Racmatain*, uti legit Zouzenius: quod exemplum etiam imitatus est poëta anonymus, a Ros. p. 31 ex Ibn-Nahhâs adductus; confirmat me insuper, quod ad illum Zoheiri versum tam Ibn-Nahhâs quam Zouzenius ibi duo loca indicari affirment, immo eorum situm indicent; uti hic dicit: الرقمتان حرتان احداهما قريبة من البصرة والاخري قريبة من المدينة. Dubium quidem de geminâ ejus mansione vernâ tollere vult Ibn-Nahhâs: يريد ان دارها بين هذين الموضعين sed hoc minus satisfacere videtur. Majorem vero lucem dat explicatio Zouzenii: لها دار بالرقمتين يريد انها تحل الموضعين عند الانتجاع ولم يرد انها تسكنهما جميعا لان بينهما مسافة بعيدة. Deinde, post alia de ceteris vocalibus, addit recte: وقوله ودار لها بالرقمتين يريد وداران لها بهما فاجتزا بالواحد عن التثنية

التثنية لزوال اللبس ان لا ريب في ان الدار الواحدة لا تكون قريبة من البصرة والمدينة — Ex collatione igitur utriusque hujus poëtae videtur concludi posse Antaram eodem modo *geminam Oneiza* pro mansione vernâ familiae Ablae suae tribuere, in quarum alterâ post alteram depastam tempore verno pabularetur.

Difficilem autem fuisse aditum poëtae ad amasiam suam, ut queritur ipse, non tantum inde apparet, quod ea cum familiâ suâ ibi locorum, ille vero in *Gailem* cum suis esset, verum et auget illam difficultatem id quod Schol. addit, *magnum intervallum inter ea loca fuisse.* — Ceterum (ut hoc quasi in transitu dicam) de aliâ quâdam notione vocabuli غيلم observat Schult. ad Har. V. p. 90, ex Scholiaste, id non significare *puellam libidinosam*, uti dat Gol. sed *puellam pulcram*, aut *mulierem plenis annis nubilem*.

V. 10. Citatur hic versus ab Haririo, in درة الغواص MS. p. m. 49, ubi tamen pro الفراق habet المسير, in cujus, cum ازمعت constructi, explicatione versabatur; ita etiam Schehâb'eddin Ahmed Chaffâgiensis, in Comm. ad Har. l. c. MS. p. m. 137, ubi vero addit: ويروي جدّ المسير الفراق. Citat et hunc versum Tebrizius in Schol. ad Abulolae Sekt-essend MS. carm. 1: 60, eo consilio, ut illustret verbum ازمع in citato Abulolae versu:

واقسم لو غضبت على ثبير لأزمع عن محلّته ارتحالا

*Ac juro, si iratus fueris Thabîro, equidem is statuerit e loco suo discedere:*

additque: يقال ازمع اي عزم على الشي, et mox ad versum Antarae: قال الزم الشي اي عزمت عليه. Nec tamen notio illa verbi ازمع *Firmo animi proposito se applicuit instititve negotio: diligenter prosecutus illud fuit;* nec constructio ejus, sive cum accusa-

sativo sive cum علي, insolita est; câ enim significatione cum accusativo, praeterquam in Amr'alkeisi loco mox citando, adhibetur ab Haririo in initio conf. VII: ازمعت الشخوص من برقعيد *Proposueram mihi ex Barkaïd abire*; uti et in Diwân Hudeilitarum apud Schult. ad Harir. conf. VI. p. 217: ازمعت رحلة *In animo destinavi iter.* Sic et cum علي construitur in Bohaddini Vitâ Saladini p. 139. lin. ult. idque in omnibus illis locis speciatim sive de itinere sive de discessu. — Non notarem haec levia, nisi operae pretium censuisset Tebrizius utrumque hunc usum confirmare; forte quidem quia, teste Kessaeo apud Gjeuhari, nonnulli Grammatici illum negant, Al-Ferraüs vero ibidem illum admittit: قال الكسائي يقال ازمعت الامر ولا يقال ازمعت عليه قال الاعشي ازمعت من آل ليلي ابتكارا وقال الفراء ازمعته وازمعت عليه بمعني مثل اجمعته واجمعت عليه: accedat tandem, quia prius versus nostri hemistichium fere eodem modo expressit, Amr'alkeis in Moäll. v. 19: وان كنت قد ازمعت صرمي (sive صرمي *sormi*, uti codd. Ibn-Heisch., Zouz. et Jonesii dant) *si omnino decreveris me deserere.*

Quod de ركاب cum primâ Kesrâ (non ركاب cum primâ Dammâ ut dat Jonesius) Golius affirmat: „singulari carere volunt: et pro eo usurpari راحلة," sive, ut addunt Gjeuhari et Zouz. الواحدة راحلة ولا واحد لها من لفظها, id non tam generatim accipiendum, cum Zouz. hic observet Al-Ferraüm (Philologum clarissimum et passim a Scholiastis et Lexicographis citatum) asserere, singulare ejus esse ركوب, veluti قلاص a قلوص, conf. et alia exempla infra in Schol. ad v. 25 et 72.

In sensu constituendo affert Schol. duas explicationes multum a se di-

diversas: altera est: *Si discessum in animum induxeris firmoque proposito illum constitueris, tunc utique intelligam id ex eo quod cameli vestrae habenis instruuntur noctu.* Ex alterâ vero explicatione sensus est: *Firmiter proposuisti tibi discedere, namque cameli vestrae habenis instructae sunt nocte obscurâ.* Hanc quidem expresserunt Jonesius et Hartmann; illam dat etiam Glossa marginalis codicis nostri, eamque videtur praeferre Zouz. cum addat أن in priore membro esse conditionis *si*, illique alterum in posteriore affirmative respondere. Et certe locus Amr'alkeisi fere similis illi interpretationi favet, et particula فانما non minus quam فان et أن notant saepius *Utique*, *equidem.* — Ceterum cum nostro loco conferri possit versus Rafeï Ibn-Hosein Ibn-Maän, apud Abulfedam in Annal. Mosl. Tom. III. p. 88:

وقلت لها والعيش تحدج بالضحي اعدي لفقري ما اشطعت من الصبر ۞

*Dicebam ipsi illo die, quum cameli jam ad discessum comparatae, pilentis instruerentur. Para modo, o mea, meo infortunio, quantam poteris, aversionem a me. (Feram quae mutare nequeo.).*

V. 11. Verbum سف cum hic occurrat notione quae apud Golium deëst, ea illustrari meretur. Praeter generalem *spargendi*, *inspargendi*, eamque *comminuendi*, *friandi*, quam saepius Scholiastae per ذر explicant, significat etiam *deglutire*, *devorare*, pec. *res viles et aridas*, ut *herbas*, *terram*, *pulverem*. Conf. et Gjeuh. apud Cl. S. de Sacy *Chrestom. Arab.* T. III p. 22. ita in I, uti hic, etiam in Amru Moäll. MS. v. 69 (Jonesii 70, in aliis codd. 65):

ونحن الحابسون بذي اراطي تسف الجلة الخور الدرينا ۞

*Nosque retinebamus nostra in Dhou-Orâthai, usque dum lacte abundantes cameli nostrae ipsas herbas aridas devorassent.*

ita

ita et in II: سففه الكلس والرماد *Deglutiendum ei dedit pulverem calcis et cineris*; in Vitâ Tim. II. 926: 6; et in VIII: استف ترب الارض *Devoro siccum terrae pulverem*; in Schanfarii Carmine v. 22 (cod. nostri v. 19), collato Schol. apud Cl. de Sacy l. c. Hoc sensu etiam: استف من سفساف تلك البير ثلث سفات *ter ore suo de pulvere illius putei sumsit*; apud Abulphar. Hist. Dyn. p. 88.

خمخم secundum Zouz. est *planta quâ cameli nutriuntur*, et quidem, ut Golius eumque secutus Meninskius ex Gjeuh. vertunt: *Pabuli spinosi genus, camelis gratum*; sive, ut dat Gigg. *Herba quaedam spinis exiguis praedita, quibus res appenduntur.* — Quoniam vero haec non satis pabuli hujus genus indicant et praeterea inter Arabas de lectione, atque adeo de significatione, hujus vocabuli dissensus est, quem breviter Ibn-H., fusius vero Ibn-Nah. et Tebrizius, idque fere iisdem verbis, exprimunt, posterioris scholion hic addam: وقال ابو عمرو الشيباني الخمخم (Ibn-N. حب الخمخم) بقلة لها حب اسود اذا اكلته الغنم قلت البانها وتغير وانما يصف انها تاكل هذا لانها لم تجد غيره، وروي ابن الاعرابي (Ibn-N. inserit اي تسف حب) الحمحم بالحا غير معجمه وقال الحمحم اسرع هيجا اي يبسا من الخمخم، Hinc possit quis suspicari forte eandem plantam indicari, quam حمحم, scilicet *Buglossum* sive *linguam tauri*, uti haec dicitur in Camuso, coll. etiam Plempio ad Avicennam II. 180: 2, et Golio in لسن, ut et Thoma a Novaria p. 140. Negat tamen hoc Castellus, cum hoc nomen sine puncto diacritico scribatur: unde nostrum vocabulum ei est *Pabuli spinosi genus, camelis gratum.* et *Herba, spinis exiguis praedita, (quae adhaeret omni rei* Bd.) *ex quâ suspenduntur multa extra Cairum.* — Ex hoc vero loci, ubi

ubi crescere dicitur, indicio apud Botanicos et Itinerum locorumque scriptores frustra lucem de plantae hujus genere petii, neque Ibn-Beitar aut Dioscoridem Arabicum consulere mihi licuit.

Cum tamen nonnullis eadem planta videatur quae حمحم, de eâ quaedam hic addam. De hac Hâgji Zein-el Attâr, in celebratissimo suo opere Persico اختيارات جريجعي MS. Tom. I, dicit: حمحم بلغة اهل شام لسان الثور است. Hanc plantam alio loco, in لسان الثور, fuse describit, ejusque nomen in margine alterius cod. mei (uti ad omnia nomina Persica additur denominatio Latina) explicatur *borago* aut *buglossa*. — Obstare quidem videtur Forskälium in Florâ Aegypt.-Arab., parte I. p. LXII, affirmare plantam *linguam tauri* esse *Boraginem officinalem*, uti et in *Dictionnaire Français-Arabe, par les Jésuites à Cairo*, MS. dicitur „*Bourage: lesân el taour*;" et in D. Germani de Silesia Fabricâ linguae Ar. p. 208. „*Boragine Buglossum*, *herba* لسان الثور حشيش; atque in P. Angeli a St. Joseph Gazophylacio linguae Persarum p. 43. „*Borragine. Borrago. Bourrache.* كوزبان *لسان الثور" ita et in Buglossa p. 45. Nec tamen haec diversa denominatio vere obstat, nam *Borago officinalis* Dioscoridi aliisque veteribus olim vocabatur *Buglossum*, *βουγλωσσον*, coll. C. Sprengel in Hist. rei herbariae, T. I. p. 160. — Est quidem haec planta foliis et floribus hispidis, grana habet nigra, prope Cahîram invenitur et patria ejus a nonnullis Botanicis habetur Aleppo (Haleb); utrum autem aliquam vim possideat ad minuendum aut depravandum lac ovium, uti supra dicitur, et an pabulum camelorum sit, equidem ignoro: neque etiam his notis describitur altera ejus species *borago magna*, quae itidem memoratur in Dictionario Gallico-Arabico supra citato; aut *Borago verrucosa*, quam Forskâl, II: 41, ait Arabice dici لسيق vel حريق et Kahîrae crescere affirmat, quod-

que

que totum genus, uti et *Borago semper virens*, ad asperifolia pertinet; immo et *Echium*, quod constat veteres saepius cum *Buglosso* sive *Boragine* confudisse; conf. Casp. Bauhini Pinax Theatri Botanici (Basil. 1671, in 4°.) Lib. VII Sect. II. — Sensum versus dat Zouzenius, nihil metum incutere poëtae in discessu amasiae, nisi consumtionem abundantis pabuli pro camelis puellae onerariis; se enim perspicere illam, finito pabulandi tempore, ad familiae suae domos redituram.

V. 12. Exhibet Zouz. observationem Grammaticam de vocabulo حلوبة, quod apud Gol., Gigg. et Cast., uti et Gjeuh. et Phiruz. deëst, ut Collectivum, cum tantum exhibeant حلوب fem. ة, *Quod mulgetur*, animal. Gi. et *Mulgens*. Ca. Scilicet observat Zouz. illud esse Collect. ab حلوب secundum Basrenses Grammaticos, ut قتوبة a قتوب et ركوبة a ركوب, cum alii eorum affirment illud esse sensu محلوب (*quod mulgetur*); et formam فعول, quando adhibetur sensu passivo pro مفعول, ferre ut ei addatur ة secundum eos femininum. Forte et ad priorem sententiam potuisset addere aliud exemplum in vocabulo حمولة quod adfuit v. 11. pro *camelis onerariis*, et oppositum est alteri ركوبة *camelis vectariis*. — Alteri autem sententiae accedit Gjeuhari, qui, postquam حلوب sensu passivo explicuerat et versu, quo poëta Caäb Ibn-Saäd fratrem suum deflevit, confirmaverat, addit: وكذلك الحلوبة وانها جا بالهاء لانك تريد الشيء الذي يحلب اي الذي اتخذوه ليحلبوه وليس لتكثير الفعل وكذلك القول في الركوبة والقتوبة واشباهها. Similia dat in قتوب et قتوبة, quo utroque vocabulo tam ex eo ad illa loca et modo citt. quam ex scholio nostro augeri iterum potest Lexicon Golii, et priore illud Giggeji. Sensum etiam passivo Motarrezius cum nostro حلوب confert duo



alia

alia ضبوث et زجون, in glossâ ad Haririum, quam optime emendat et explicat Cl. S. de Sacy, *Chrestom. Arab.* T. III p. 200 seq.

Pro حلوجة autem Cod. Ibn-Nah. habet حمولة *camelos onerarios*, pro quo tamen vocabulo tam ille quam Tebrizius in scholiis خلية praeferunt. خلية autem, secundum Golium, est *Camela quae cum aliâ unius, ejusque alieni, pulli tenetur amore:* ita dicta quod a suo abducta etc. „Namque ita camelae lac augetur: quae pul-„lum illum non lactat, sed tantum ad mulctram servatur." Magis perspicue et breviter Gjeuh. vocem explicat: الخلية الناقة تعطف مع اخرى على ولد واحد فتدران عليه ويتخلى اهل البيت بواحدة يحلبونها. Cum quibus conf. Scholia Ibn-Nahhâsi et Tebrizii ad h. l. iisdem fere verbis expressa: الخلية ان تعطف على الحوار ثلاث من النوق ثم يتخلى الراعي واحدة منهن vertente Reiskio ad Tar. p. 48: *Tres camelae unius pulli amori et curae assuefiunt, e quibus dein unam seorsim sumit et pullo tribuit pastor.* Ubi autem Tebr. MS. legit يعطف et بواحدة, non consentiente tamen Ibn-Nahhâs.

Ad vocabulum خوافي notat Zouz. illas esse quatuor alae plumas: nam, licet nonnulli alam constare viginti plumis dicant, ex plerorumque tamen sententiâ sedecim illi tribuendae sunt; scilicet quatuor قوادم, quatuor خوافي, totidem مناكب et quatuor etiam اباهر dictae. Illae, primo loco memoratae, قوادم sunt *Pennae anteriores, quales alae cuique sunt quaternae,* ut monet Gol. et fusius Cl. S. de Sacy e Gjeuh. et Camuso in *Chrestom. Arab.* Tom. III p. 28 et sq. et ex Schol. ad Motenabbi, ibid. p. 119. coll. p. 489 sqq. Ita vocabulum, translato tamen sensu, adhibent Gjerir in carm. cit. a Reiskio ad Tar. p. 42:

ساشكر

ساشكر ان رددت علي ريشي واثبت القوادم في جناحي

*Gratias agam si reddideris mihi plumas, quae defluxerunt, et consolides ocyptera in alis meis.*

et Doreid Ibn-al Sammat, ibid. p. 103, conquestus de senectute suâ:

كاني خرب جزت قوادمه او جثة من بغاث في ذوي خضر

quae vertit Reiskius: *Exterminant me, ut si tarda forem, cujus abscissae sunt alae remiges, aut cadaver milvi, cui χλωρὰ δρόσος καὶ χνοῦς, ὥσπερ μήλοισιν, ἐπανθεῖ.* — Alterum vocabulum, خوافي, notat *Plumas breviores alae, quales subter pennis remigibus sive decem anterioribus existunt.* Gol., uti breviter Asmaïus apud Gjeuh. الخوافي ما دون الريشات العشر من مقدم الجناح, Tebrizius autem et Ibn-Nahhâs الخوافي اخر ريش الجناخ مما يلي الظهر. Ita ex ambiguo usurpatur de falcone in Vitâ Timuri, T. II p. 906: 10, et utrumque hoc vocabulum junctum egregiâ comparatione ibid. Tom. I p. 322: 14 de oppidanis in expugnatione urbis ab hostibus, arcem adscendentibus et اكوهروا ملتجيين الي قوادمها وخوافيها *trepidâ fugâ, pullorum instar, se recipientibus ad pennas ejus anteriores et plumas.* Hinc etiam duo haec vocabula junctim transferuntur ad *agmina exercitus*, ibid. Tom. II p. 644: 1 et 2; conferatur et Scholiastes Motenabbii, apud Cl. de Sacy l. c. p. 119. — Hae autem *plumae breviores alae corvi* praesertim comparationi maximae nigredinis hic inserviunt, uti خواف العقاب *plumae breviores aquilae*, ad pilos nigros in tarsis equi pingendos, in Amr'alkeisi pulchrâ equi descriptione, cit. a Reiskio ad Tar. p. 84 sq.

لها ثنن كخواف العقاب سود يفين اذا تزبئر

*Cui in tarsis pili, ut plumae aquilae, nigri, quae colorem mutant,*

 *tant,*

*tant, cum horripilant.* — Tertiam pennarum classem constituunt مناكب *Quatuor pennae in volucris alâ* post τὰς القوادم, uti de vocabulo hoc, absque singulari occurrente, dat Gol. ex Gi. et Ca. sive, uti simpliciter dicit Gjeuh. المناكب في جناح الطاير اربع بعد القوادم. — Postremam classem faciunt, secundum Schol. nostrum; اباهر, Coll. ab ابهر, quae tamen ex mente Golii, Gjeuharium sequentis, sunt *Pennae ordinis penultimi in volucris alâ*, cum quâ igitur sententiâ convenit alter aliorum numerandi ordo supra a Schol. nostro memoratus, ubi ceteras quatuor كلا dicit. — Tres vero has pennarum classes Schehâb-eddin Ahmed Chaffâgiensis, in Comm. ad Haririi درة الغواص MS. p. m. 59, ad versum Besschâri ab eo citatum القوادم رادفات الخوافي فان, hoc modo explicat: القوادم والقدامي لكبار اربع او عشر ريشات في مقدم الجناح واحدته قادمة والخوافي ريش اذا ضم الطاير جناحيه خفيت او الاربع اللواتي بعد المناكب او سبع ريشات بعد السبع المقدمات. — Utrum autem hae quatuor classes eaedem sint cum iis quas Linnaeus exhibet, aliis dijudicandum relinquo, cum secundum hunc quatuor pennarum ordines hi sint: remiges priores; remiges secundarii; ala spuria, etiam alula dicta; et tectrices alarum.

Celebrat igitur poëta, ut observat Schol., opes et divitias amasiae suae, quod camelos habeat quadraginta duas, non tantum quae mulgentur, verum totidem nigras, quia illae prae ceteris aliorum colorum, sunt nobilissimae et praestantissimae.

Tandem, cum *nigrarum camelorum* raro mentio fiat, isque color forte in dubium vocari possit, observare liceat non tantum illas ut praestantissimas Arabibus haberi, uti modo ex Zouz. monui, verum et ideo nonnunquam dono regio inserviisse, coll. loco quem ex-

exhibet Cl. S. de Sacy, in *Chrestom. Arab.* T. III p. 57, ubi rex Noman centum camelos nigras cum omni earum apparatu poëtae Nâbegae dono dedisse fertur; immo affirmat Zouzenius, in Schol. ad v. 25, nigrum colorem in camelis Jemanensibus frequentem esse. — Hujus tamen varietatis in camelorum colore, quia nullam mentionem invenire potui apud Hist. Nat. scriptores, unum addam, quamquam Bactrianarum tantum, exemplum, quod exhibet Caelius Rhodiginus, in Lectionibus antiquis, lib: VII cap. 18. p. 356: „ Ptolomaeus Lagi duo quaedam inusitata in Aegyptum induxit, camelum bactrianam insigniter nigram, item — — — — semialbum „ hominem. Ceterum Aegyptii cameli aspectu territi paulo minus „ prosilientes mandarunt fugae praesidium", etc.

V. 13. غرب explicat Schol. *Prominentior pars cujusque rei*; iisdemque verbis Gjeuhari, qui tamen paullo ante, ubi hunc versum citavit, melius ad nostrum locum addidit: والغروب حدة الاسنان وصلاوها, vertente Golio, *suprema acutiorque pars et nitor dentium*; uti etiam Ibn-Nah. dat الغرب حد السن دهنا وغرب كل شي حدة et Tebr. posterius iisdem verbis; at paullo fusius Ibn-Heischâm الغروب اطراف الاسنان واحدها غرب وغرب كل شي حدة, uti ibi pro vitioso جدة legendum est. Atque hoc forte magis hic convenit quam explicatio mox a Schol. subjuncta per الاشر التي تكون في اسنان الشواب *strias* seu *crenas*, *quae in dentibus juventarum sunt*. Quae tamen hic junctim de dentibus et salivâ dicuntur, ea etiam illo sensu jungit Amralkeis, quando os puellae laudat, apud Reiske ad Tar. p. 54: فهو ذي اشر تشوفه وتنوص et عذب يقبض *serrato dente*, *quem polit et fricat* — et *dulci illo* dente *et salivam spargente rorulentam.*

Ut contextum hujus versus ostendat Zouzenius, recte supplet, quod igitur perspicuitatis causâ translationi inseri poterat, veram causam metus poëtae de transmigratione Ablae non esse illam, quam

 dixe-

dixerat v. 11. sed esse reverâ in eo sitam, quod Abla cum amore suo captivum quasi duxerat. Et hac quidem observatione sensus duorum praecedentium versuum, ut et hujus, longe alius fit quam eum dedit Jonesius. — Ipsam autem puellae, poëtam olim sibi devincientis, descriptionem Zouzenius in hunc sensum explicat: *captivum te fecit dentibus suis crenatis; dulce tibi fuit eos osculari, suavisque tibi compertus sapor salivae eorum.* — Exempla nonnulla id magis illustrabunt. Sic oscula etiam describit Motenabbi MS. carm. 16: 7: فذقت ماء حياة من مقبلها *tunc gustavi aquam vitae ex osculis ejus.* Quantopere autem salivâ illâ delectentur lascivi Arabes, apparet inter alia ex Poëtâ in Abulfedae Ann. T. III p. 88:

لها ريقة استغفر الله انها الذ واشهي في النفوس من الخمر

*Saliva ejus* amatae meae puellae *dulcior mihi est magisque appetita, quam (ignoscat Deus impietati meae) vinum.*

Inde et id, quod ex ore amicae haurit, cum vino vetustissimo comparat Amr'alkeis, in versu quem servavit Ibn-Heischâm ad Ant. v. 1*:

اذا ذقت فاها قلت طعم مدامة معتقة مما يجي بها التجر

et magis ex comparatione maximae suavitatis cum *consortio poculi vini, frigidâ aurâ aquilonis temperati* وبرضاب الحبيب مشمول *et mixti salivâ amasii*, in Vitâ Tim. T. II p. 934: 11. Quin altius scandit Tantarâni in carmine, quod edidit Cl. S. de Sacy, in *Chrestom. Arab.* T. I p. 566. v. 5.

فاسقني من فيك خمرا فيه كالسلسال سال

*Fac ut bibam ex ore tuo vinum illud, cujus dulcedo est instar aquarum coelestium Salsali.*

Inde et كاس ثغر يرشف *Pocula oris extremis labiis haurienda*: uti legendum in eâdem Vitâ Tim. T. II p. 426: 5. Pulchre de hac salivâ frigidâ Motenabbi MS. carm. 44: 1:

اريقك

اريقك ام ماء الغمامة ام خمر،
بفي برود وهي في كبدي جمر،

*Haecne saliva tua? an aqua coelestis? aut vinum?*
*Frigida est in ore meo, at vero in corde meo instar prunae ardentis.*

Ejusmodi saliva, quae extremis labiis sorbetur, dicitur رضاب, sic Ibn-el Mosched, in Abulfedae Annal. IV: 566, describit pincernam, cujus رضاب كالشهد لكن جناه اعذب، *saliva, extremis labiis hausta, mellis instar dulcis est; multo autem dulcius ejus mellilegium.*

V. 14. De significatione vocabuli قسيمة tres sententias memorant iisdem verbis Ibn-Heischâm, Ibn-Nahhâs et Tebrizi: القسيمة قيل هي الجونة وقيل هي سوق المسك وقيل هي العير التي تحمل المسك. Missâ autem hac lite, alio nomine memorabile est Zouzenii Scholion ad illam vocem قسيمة, quia id integram aliquam classem significationum docet, quae in Golii Lex., praeterquam in قسيم, tota deëst. Habet enim Golius tantum notiones eas, quae sunt in قسم cum mediâ Phatâ (formae igitur et significationis transitivae) sc. *dividere; partiri; secundum modum definitum dispescere et instituere negotium;* immo dat قسيمة notione tantum illâ, quae in nostro versu facile ex contextu arripi possit, *vas quo odores recondunt aromatarii:* deëst tamen apud illum ea verbi forma, quae plerumque intransitivae significationis est sc. قسم, cum mediâ Dammâ, *Pulcher fuit.* Hujus vero notionis exempla praebet Zouz. in قسامة, quod explicat per *pulchrum et decorum esse;* Adj. قسيم *formosus, pulcher;* تقسيم *pulchrum reddere;* eamque *pulchri* significationem confirmat exemplo ex poëtâ Agjgjago, qui locum, ubi commoratus fuit Abrahamus, vocat المقسم id est المحسن!

المحسن *egregium et pulchrum*. Melius igitur haec omnia refert Firuz. et ex eo Gigg. Putem tamen illam significationem *Pulcher fuit*, in verbo, ut saepius, esse denominativam a قسيم, quod e generali *partiendi* notione est *modo definito dispositum et institutum;* et dein *pulchrum;* a quo tunc in قسم (cum mediâ Dammâ) orta est significatio *Pulcher fuit.*

Vult igitur poëta, ex mente Zouzenii, instar vasis musci, suavem odorem exhalantis apud aromatarium, esse halitum mulieris pulchrae, qui ex ore ejus alicui ad eam accedenti adflatur, etiam antequam is dentes ejus attingat, eamque osculetur; comparatur enim *suavitas halitus oris puellae* saepius cum *fragrantiâ odoris musci.* Sic generatim apud Amr'alkeis v. 8:

اذا قامتا تضوع المسك منهما،

Mulieres *quum adsurgebant, diffundebatur ab illis muscus* etc. Speciatim etiam id de earum halitu dicit Ibn-Fâredh in Cl. de Sacy *Chrestom. Arab.* Tom. I p. 373: 18:

حصر اللمي عذب المقبل بكرة ' قبل السواك ساك وشاذا ۞

quae eleganter vertit idem, T. III p. 145. „*La fraicheur s'exhale* „*de sa bouche: une douce haleine repose au matin sur ses lèvres,* „*et surpasse, sans aucun apprêt, l'odeur suave du musc, dont* „*elle repand le parfum*". Sic Sâheb Ibn-Mathrouh, in Abulfedae Annal. Tom. IV p. 528:

عانقته فسكرت من طيب الشذي غصن رطيب بالنسيم قد اغتذا،
نشوان ما شرب المدام وانما امسي بخمر رضابه متنبذا

*Amplectebar eum, indeque fiebam ebrius a suavitate fragrantis, quem spirabat, odoris; eum, qui ramus erat lentus, succulentus, a solis Zephyris altus.*

*Videtur ebrius, quamvis vinum non biberit, sed temulentum facit vinum salivae suae.*

V. 15.

V. 15. De روضة انف (non انف ut dat Jonesius, quod nusquam exstat) *Hortus* vel *pratum novum et intactum*, luculenter egit Schult. de Defectibus linguae Hebraeae p. 234 sq. ubi nostrum locum cum scholio Ibn-Nah. ad انف exhibet; et de انف الرياض Idem in notis ad Excerpta ex Ispahanensi p. 21. Illud quidem, a Schol. ad Motenabbii carmen في انسلاخ شهر رمضان in cod. meo MS. v. 4 explicatur اي لم ترع i. e. *pratum quod non depastum est.* — Merito id magni in Oriente aestimatur; hinc inter plures ejusmodi res recensetur ab Haririo in MS. conf. 43. medio, الثمرة الباكورة والباكوة الجنية والسلافة الشهية والسلافة المنخورة والروضة الانف, ubi tamen in Cod. min., omisso primo membro, tantum exhibentur والباكورة الجنية والسلافة الشهية والروضة الانف, et الانف in glossâ interlineari exponitur بكر. Idem autem aliâ imagine, quasi *hortus adhuc virgo*, transfertur, in Vitâ Tim. T. II p. 292: 2. ad *loca inaccessa et invicta.* Eâdem figurâ, quâ بكرة *intacta virgo*, adhibetur de *speluncâ inaccessâ*, ibidem T. II p. 348: 17; et بكر *intacta virgo* pro *arce invictâ*, ibidem T. I p. 238: 8. — Hic loci vero suavis halitus oris puellae, qui modo dicebatur esse instar vasis musci suavem odorem apud aromatarium exhalantis, nunc comparatur cum horto aut prato florido et intacto, cujus germen non fimo, qui ingratum det odorem, sed pluviâ abundante foecundatum, laete luxuriet, et ubi nulla appareant vestigia hominum aut bestiarum, quae, illum locum calcando, ejus aut pulchritudini aut fragrantiae odoris nocuerint. Paullum diversâ imagine *prata* pulchra et intacta cum *sponsâ* formosâ et illibatâ comparantur in Vitâ Tim. T. II p. 164: 8.

V. 16. Ad vocabula بكر حرة indicatur a Tebrizio et Ibn-Nahâso varians lectio بكر ثرة quam hic praeferri ab Abou'läbbâs dicit,

cit, ille autem explicat: اي جات بمطر جود, sive ut dat Ibn-Nahh. قوله جادت اي جات بمطر جود. Memorat insuper Zouz. aliam etiam lectionem, eique aliquid momenti tribuit, cum tam vulgarem quam hanc in expositione sensus mox jungat, sc. عين ثرة, eo sensu ut عين hic sit *pluvia per dies aliquot minime interrupta*, et ثرة ac ثرثار *multum aquae*. Ex hac lectione possemus tamen etiam, et forte melius, عين sumere pro *nube ab austro veniente;* quo sensu occurrit in Excerptis Hamasae p. 566. من العين غيث يسبق الرعد وابله *Imber e nube scaturiente, cujus impetus tonitru praevertat:* uti p. sq. عين explicatur سحاب يدوم مطرها اياما *Nubes, cujus pluvia aliquot dies aequabili tenore continuetur.* — Cum tamen nullus codex hanc lectionem confirmet, vulgaris ei videtur praeferenda. — Et altera quidem orta videtur ex rariore vocis بكر significatione, quae etiam a Golii Lex. exsulat, uti Schol. illam exponit de *nube quae praevertat pluviam suam*, sive, uti Gigg. dat, de *nube pluviâ affluente;* sive potius, uti Ibn-Nahh. et Tebr. dicunt: البكر السحابة في اول الربيع التي لم تمطر; cui notioni affinis est altera in باكور et مبكر *Pluvia prima veris.* Quia tamen v. sq. de pluviâ quâvis vesperâ cadente poëta loquitur, praetulerim cum Jon. notionem *matutinae nubis;* quae matutini temporis significatio in toto themate regnat. — بكر حرة vertitur ab Hartm. post Jon. *Nubes matutina splendens grandine et alba*, cum tamen nubes grandine repleta nec splendere, nec alba sed atra esse soleat. Potius igitur cum Schol., qui plures notiones vocabuli حر eo consilio affert, explicandum est sensu plane opposito *Nubes a grandine et vento libera;* uti a Scholiastis Leidd. حرة hic exponitur البيضاء. وقيل الخالصة.

Sensus autem prioris hemistichii, satis perspicue a Schol. exhibitus, in utrâque lectione non multum differt. — Minus vero in pos-

posteriore hemistichio convenire videtur lectio cod. Ibn-Heischâmi حريقة *Horti* sive speciatim *palmeti*, pro vulgari et ceteris codicibus confirmato قرارة *fossâ*, *puteo*, aquarum *receptaculo*; notione quidem, quae itidem in Golii et Gigg. Lexicis deëst, sed quâ hoc vocabulum etiam occurrit pro *receptaculo*, apud Ibn-Tophail. p. 38. Sic a Tebrizio et Ibn-Nahh. exponitur القرارة الموضع المطمين من الارض quibus hic addit فكان القرارة يجتمع من السيل مستقر السيل. — Omnes ejusmodi fossas nubes illa scaturiente aquâ suâ ita implere dicitur, ut poëta eam cum numis argenteis comparet tum ob formam rotundam guttularum cadentium et bullularum in aquâ conspiciendarum, tum ob claritatem et splendorem. A posteriore quidem hac comparatione haud multum differt descriptio numi aurei, in versu Consessus Hamadâni, apud Cl. de Sacy *Chrest. Arab.* T. III p. 218:

يكاد ان يقطر منها الماء

*Diceres te in repercussione splendoris ejus videre, guttas aquae ex ejus superficie fluere.*

Utroque autem illo nomine, quo in nostro loco, cum دراهم *numis argenteis* comparantur stellae; in Vitâ Tim. T. I p. 190: 3, ubi, continuatâ imagine, نثر علي سطح هذا الاديم المينا دراهم كواكبه الزهرا (Textor providentiae) *sparsit per superficiem hujus expansi in modum vitri pellucentis numos argenteos stellarum suarum micantes.* Uti دينار البيضاء *denarius candidus* pro sole dicitur, ibid. p. 188: 13. — Ejusmodi autem pluvia bullas excitans peculiari nomine audit يعلول ipsaeque adeo aquarum bullae, ut observat Schol., a Lette ad Caäb p. 110 alio consilio adductus: اليعلول المطر ذو الحباب ونفاخات الماء, quam posteriorem notionem confirmat Gjeuh. in حب his verbis: ويقال حباب الماء نفاخاته ويقال اليعاليل نفاخات تكون التي تعلوه وهي اليعاليل sive فوق الماء, uti Gjeuh. in عل refert.

 V. 18.

V. 18. *Susurrum muscarum* in prato pluviâ rigato quando confert noster, eleganter omnino, cum tremulo sono submisse cantillantis ebrii, comparari cum his potest Amr'alkeisi Moäll. v. 81, ubi aviculae circum torrentem tam laete sibilare dicuntur, ac si صبحن سلافا من رحيق مفلفل *mane biberint generosioris notae vinum piperatum;* collato Ibn-Nahhâs in scholio. — Hunc versum, sed insigni cum discrimine in posteriore hemistichio, exhibet etiam, licet itidem ut Amr'alkeisi versum, Gjeuharius in راح hoc modo: تساقوا بالرياح المفلفل; sensus tamen eodem redit, cum vocabulum الرياح, quod in Golii Lexico prorsus desideratur, per *vinum* explicet: والرياح بالفتح الراح وهي الخمر.

V. 19. Locum hunc Asmaïus, Philologus magni nominis, in scholio Tebrizii ad Taraphae v. 29, apud Reiskium in notis p. 76 et sq., laudat, et, uti illi Taraphae, ita nostro versui similem aliquem se non nosse affirmat; affert tamen hunc locum, uti saepe Grammatici, ut videtur, tantum ex memoriâ; cujusmodi citationis exemplum memorabile vidimus modo ad v. 18. et duo alia admodum diversa profert Lettius ad Caäb ben-Zoheir p. 261. Ex hac Asmaïi citatione in nostro versu pro priore hemistichio هزجا يحك ذراعه بذراعه dedit غرد يسن ذراعه بذراعه, quod Reiskius vertit *Syrictes, qui brachium brachio acuit;* recte tamen observat illam lectionem ex nostrâ emendandam esse; omnes enim codd. in eâ consentiunt, et putem Asmaïum forte vocabulum غرد ex v. 18. desumsisse. — In altero hemistichio pro المنكب apud Reiskium, videtur cum omnibus codd. المكب legendum esse.

Comparat autem poëta, quamquam forte nimis subtiliter, sonum illum, quem dant muscae, quando alterum brachium suum cum altero fricant, cum sono quem edit quis manu vel digitis mutilatus, quan-

quum fricando, Arabum more, gemino ligno igniario, omni nisu conatur ex iis ignem extundere. — Horum duorum igniariorum ligneorum superius, ut observat Schol., dicitur masculino genere زند, illud scilicet *lignum, quod attritu suo in alterum, inferius et excavatum, immittit ignitas scintillas*; inferius autem, femininâ terminatione, زندة audit, et *alteri suppositum, ceu fomes, excussum ignem recipit.* Unde haec duo زندان et hic loci in Collectivo زناد dicuntur. Cf. et Hyde Hist. rel. Pers. (ed. 2.) p. 338 seqq. Graecis autem πυρεῖα, coll. Apollon. Rhod. et fuse ejus Schol. ut et Theocr. Idyll. 20, apud Schult. l. mox c. §. 18. — Illa duo igniaria lignea ab Arabibus ad varias translationes adhibentur, quarum nonnullas dedi in Lex. meo. Igniaria autem ipsa, ex duabus arboribus Arabicis المرخ et العفار confecta, accurate describit Schol. apud Schult. Origg. Lib. I cap. II §. 17. Culter incurvus, quo inferius hoc lignum edolatur, peculiari nomine مصرم dicitur. Mos autem ille ignem eliciendi, quamquam in Arabiâ felice non observatus sit a Niebuhrio, ibi tamen est cognitus atque etiam nunc Loheiae in usu, ut vidit Forskälius, cit. a Nieb. Descr. Ar. p. 132. ed. Hafniensis Gallicae. — Priorem illam arborem, *March*, esse *Cynanchum pyrotechnicum* docet idem Forskälius in Florâ Aegyptiaco-Arabicâ, Parte II p. 53; *Cynanchum* vero *viminale*, C. Sprengel, in Hist. rei herbariae, Tom. I p. 252. Alteram arborem, *Afâr*, Turcicè describit Ecteri, apud Hyde l. c. p. 340.

Et huc usque quidem poëta inde a v. 15 comparationem instituit suavis odoris, ex ore amasiae suae exhalantis, cum fragranti odore illius prati; in quo igitur, ut monet Zouz., describendo eo majori diligentiâ usus fuit ut odorem illum redderet quam suavissimum. Hac igitur descriptione absolutâ, mox redit ad amasiam suam carmine celebrandam.

V. 20. Quando amasiam suam hic describit ut vesperi et mane

in molli stragulâ, se vero noctu in summo dorso equi mere nigricantis et frenati sedentem, non tantum vult, uti censet Zouz., illam quidem commodam jucundamque vitam degere, se autem subire itinerum et bellorum molestias; sed mihi videtur simul more poëtarum Arab. sic facilem transitum velle facere ad laudandum, hoc et seq. versu, equum suum, cujus prima dos hic praedicatur ea quod sit ادهم.

Color, qui hoc vocabulo indicatur, plerumque habetur pro *nigro*, proprie dicto, saepiusque equis tribuitur, uti Arabs in Bibl. Polygl. Hebr. סוסים שחרים (quod Alexandrini dederunt *ιπποι μελανες*) vertit خيول دهم Zach. VI: 2 et 6, et *ιππος μελας* Apoc. VI: 5. برذون ادهم, ubi Arabs Erp. habet فرس اسود. Nec tamen is color vere *niger* est, nam Schol. MS. ad Carmen Borda v. 85 (ed. Uri v. 86) الادهم explicat الاسود الشديد الزرقة; nec quidem vere indicat *furvum*, ut vertit Reiskius in alio Antarae loco, quem citat in not. ad Tar. p. 123; multo minus *pulchre obtectum*, uti dat Hartmann, quod certe itineribus illis nocturnis bellorumque molestiis non convenit. Putem potius id significare partim (nam unum vocabulum Latine non novi) *mere nigricantem*, quia intenditur *color niger absque ullâ albedine*; partim tamen etiam et peculiariter, ita ut adsit *mera illa nigredo*, *quae aliquid obscuri viroris habet*; si enim *intensioris* sit *nigredinis*, tum, ut addit Golius, جون dicitur, ex. gr. in carmine ex Diwân Hudeilitarum, cit. a Reiskio in not. ad Tar. p. 82 (ubi tamen hoc جون etiam *furvum* vertit):

تالله ما هقلة حصاء عن لها جون السراة هجنف لحمه زيم ۞

*Non, ita vivam, struthio juvencula, glabra crure, cui occurrit furvus dorso, stolidus, cute lacera* (senex struthio).

Alterum autem colorem equorum, sc. *ex obscuro viridi mere nigrum*, seu *mere nigrum cum obscuro virore*, qui apud nostrates etiam magni aestimatur, pulchriorem habent Arabes; unde etiam no-

noster equum suum absolute الأدهم vocat, infra v. 66. Ita et de corvis rebusque mere quidem, sed simul cum obscuro quodam virore, nigricantibus adhibetur, locis, in primis Corani illo, in Lex. meo indicatis. Nigros autem illos equos esse firmissimos et laborum maxime patientes jam probavit Bochartus, Hieroz. T. I p. 107.

Posterius epitheton, quod poëta equo suo dat, est ملجم *freno instructus.* Gloriari enim solebant poëtae veteres Arabum, equos suos freno indutos manere, ut semper quidem et primo quocunque temporis articulo, in primis ad pugnam ineundam aut ad amasiam invisendam, parati essent. Sic Amr'alkeis in Moãll. v. 70 (cod. Zouz. 66.):

فبات عليه سرجه ولجامه ٭ وبات بعيني قايما غير مرسل ۞

*Manebatque ephippio instratus et frenatus,*
*Meque conspiciente, consistenti nec praebebatur pabulum, nec pastum dimittebatur.*

Atque hunc morem, equos etiam noctu sellâ instructos sicque semper ad praelia paratos habendi, etiamnunc apud Arabas campestres in Aegypti desertis obtinere vidit erud. Du Bois-Aymé, coll. ejus Commentatione insertâ in *Description de l'Egypte, par ordre de S. M.*, loco ad v. sq. citando.

V. 21. In singulis vocabulis explicandis uberrimus est Scholiastes, non tamen ita perspicuus in مركل, nec satis explicat illam dictionem penultimam. مركل scilicet, in Collect. مراكل, vocabulum rarius obvium, uti ex indole suâ totum verbum, ille tantum dicit esse *locum* ركل, h. e. *ubi equus pede percutitur.* Magis accurate, secundum Gjeuh., quem verbo tenus dat Golius, est *Latus jumenti seu pars ea, quam fodicat eques, ut ad cursum* (sive potius *ad velocissimum cursum*, للركض) *impellat.* Haec esse bina, مركلان, addit Gjeuh.; الركل enim est secundum Gjeuh. الضرب بالرجل الواحدة *percussio quae fit uno pede.* Hinc verbum no-

notat apud Gol. *Percussit* pede equum *et adegit ad cursum.* Inde et magis generatim transfertur ad hominem, *Pede eum percussit*, ut apud Abulphar. in Hist. Dyn. p. 191: فركل ابن ملجم برجله وهو ملتف بعباءة *Pede percussit Ibn-Molgjem, dum veste obvolutus erat*; et itidem p. 354, ubi de quodam juvene, Socratem ita percutiente, quia Regi appropinquanti non assurgebat, dicitur فركله برجله *Percussit eum pede suo*; quod paullo post per verbum ركل absolute exprimitur. Sic igitur oppositum est ad لكم *manu alapam impegit*, in Vitâ Timuri T. II p. 74: 4, 5. Sic *oculis*; apud Ibn-Koteibah in Eichhornii Mon. antiq. p. 183. Nostrum autem verbum de pede tantum adhibetur, unde et Particip. Pass. in II مركل et foem. ة est *Ungulis calcata* terra; coll. Amr'alkeisi Moäll. v. 57 (cod. Zouz. 54.), ubi Ibn-Nahhâs id exponit الذي قد اثرت منه *ubi jam pedum* (*equi*) *vestigia conspici possunt:* et Zouzenius addit المركل من الركل وهو الدفع بالرجل والضرب بها. — Locutionem autem integram nostri loci breviter et perspicue explicat Gjeuh. in ركل, ubi tam illum Amr'alkeisi quam nostrum hunc versum citat, addens: اي انه واسع الجوف عظيم المراكل. — Ceterum melius haec intelligentur ex descriptione calcaris Arabici quam dedit Niebuhr, Itin. in Ar. T. I p. 242. (ed. Germ. Hafniensis) cujusque figura exstat ibidem Tabulâ XXIX; et accurate descripta est ab erud. Du Bois-Aymé in *Description de l'Egypte, par ordre de S. M. Tome* II *Artic.* II.

Cum porro ad خبل Zouz. observat illud esse سمين, *pinguis* et translate *praestans*, *excellens*, de eâ quidem notione subdubitari possit, cum non tantum nullum *pinguedinis*, sed potius in aliis dialectis *marcescendi* et *marcore exarescendi* vestigium in verbo adsit.

Ceterum geminum iterum poëtae in hoc versu est consilium, uti

V.

v. praeced. inceperat: alterum, conditionem suam opponere conditioni amasiae suae, ita ut, dum illa mane et vesperi molliter decumbit in lectulo bene farto, sibi hujus loco inserviat ephippium durum equi, cui se continuo insidere etiam dicit infra v. 44: quod tamen non minus commodum et molle ipsi videtur quam aliis stratum bene fartum, et cui aeque indefesse inequitat ac alii in lectulo ejusmodi sedent: alterum poëtae consilium est, equum suum celebrare ab illis virtutibus, quae ab Arabibus praesertim in equis laudari solent.

V. 22. Multum differt sensus hujus loci, qui oritur ex translatione Jonesii et Hartmanni, ab illâ ejus explicatione quam dat Zouzenius. Illi enim لعنت بمحروم الشراب مصرم vertunt *longe remota a patriâ suâ, destituta lacte et separata ab agmine*; idque ex generali usu verbi لعن *Abogit, et procul esse jussit*. Huic igitur notioni, ad acquirendum illum sensum, supplent *a regione* sive *patriâ suâ*; cum tamen verbum hoc non de ejusmodi remotione sed de privatione omnis boni peculiariter adhibeatur. Scholiastes autem aliam verbi notionem assumit, quâ notat *Maledixit*; et sic tam de Deo quam de angelis et hominibus in usu est, collatis locis in Lex. meo. — Versum hunc igitur explicat ex superstitiosâ veterum, ut videtur, Arabum opinione et ritu, diris devovendi jumentum. Hinc camelus, de quâ hic sermonem facit poëta, ipsi est ejusmodi cui anathemate imprecatum est, ut ipsi maledictione illâ lac denegaretur, quin et ejus lac interciperetur. Talem autem imprecationem ratam haberi putant. — Censet hinc Zouzenius poëtam descriptione hac indicare, eam camelum suam esse maxime validam, obesam et patientem, quando agitur de perferendis itinerum molestiis; idque quia repetita saepius graviditas et partus imbecillitatem et maciem efficiunt.

Hoc sensu igitur etiam alterum vocabulum مصرم non est, uti

 cum-

duumviri illi vertunt, *separatum ab agmine*, quod II species non notat, sed videtur itidem ex peculiari more Arabum explicandum, sc. *Resecuit papillam uberis camelini, ut coëunte meatu lac exsiccaretur*, uti et nostrum vocabulum exponit Golius ex Gieuhario et Camuso.

De denominatione *Schedanensis cameli* tantum dicit Zouz. *Schedan*, شدن, esse regionem aut tribum e quâ camelus illa originem ducat, addunt tamen Ibn-H. et Ibn-Nahh. ut et fere Tebr. شدنية منسوبة الى شدن قيل هو حي من اليمن وقيل هو مكان فيه ۞

V. 23. Egregie describit poëta agilitatem, alacritatem et vires cameli suae, etiamsi jam per totam noctem iter instituerit. Cumulat quasi vocabula, praesertim quae alacritatem et inexhaustas vires exprimunt, atque eo consilio vocibus tantum utitur quae etiam formâ suâ intensiorem significationem habent, ut خطارة, زيافة, et ميثم, quod posterius Scholiastes etiam hac notione intensivâ explicat, quodque nomen pro ملثم legendum suspicatur Reiske in Meidânii loco, quem citat in Prol. ad Tar. p. XLIV, in versu Motelammesii:

كميت كناز اللحم او حميرية مواشكة تنفي الحصى بملثم ۞

Οινοπι, *compactae carnis, aut Himjaritica camela, compendifaciente gressus, quae disjicit glaream ore.* (vel بميثم *ungula.*)

Prioris insuper vocabuli verbum خطر in primis tam proprie notat *jactationem caudae cameli in dextram et sinistram*, uti in Camuso explicatur apud Sacy *Chrestom. Arab.* III: 203 ضرب به (بذنبه) يمينا وشمالا وهي ذاقة, et Gjeuh. ibid. خطر البعير بذنبه, quam translate de eâ *jactatione caudae*, quae animositatis et superbiae indicium est, adhibetur a duobus poëtis in Hamasa, citatis a Schult.

Schult. ad Exc. Ham. p. 351; uti et خاطر apud Gigg. est *Superbus, fastumque incessu prae se ferens;* collato etiam loco Avicennae a Castello ad speciem III citato.

Alterius vocabuli verbum زاف proprie est *vacillanter vel jactato in latera corpore incessit* camelus; uti veteres dicebant eum omnium animalium solum esse qui femur inflectat, coll. Horo et Herod. apud Bochartum Hieroz. T. I p. 73. Deinde, eâdem translatione, quâ verbum praecedens, Gigg. vertit *In incessu fastum prae se tulit;* ita e ponitur a Schol. per تبختر et a Gjeuh. تبختر في مشيته *Egregie et elatiore modo incessit*, nempe *jactanter et in utramque partem agitato corpore;* quod itidem superborum et arrogantium est, ut addit Gol. et pulchre Haririus Cons. XI MS. وتبختر ثم خلف الجنائز ولا تبخترتم يوم قبض الجوائز. — Ipsum autem vocabulum زيافة, quod apud Golium, Giggejum et Castellum deëst, a nostro tamen etiam v. 33 adhibitum, Gjeuh. explicat المختالة *Superbus, gloriosus.* et *Superbe incedens;* quam VIII speciem verbi خيل, a Golio in Append. additam, confirmant exempla in Lex. meo aliaque multa; unde et saepius jungitur cum فخور *gloriabundus*, ut Cor. 4: 40. — Pro hoc زيافة habent quidem Cod. Tebr. et Ibn-Nah. موارة *Huc illuc movens, proferens et retrahens* pedem anteriorem camelus, i. e. *velox;* sed quod potius ut glossa habendum est, forte illustrandi tantum causâ addita, cum illud vocabulum saepius camelo tribuatur; sic ea dicitur

صهابية العثنون موجدة القرى بعيدة وخد الرجل موارة اليد

*Rufa mystace, torosa dorso, infinitum spatium pede emetiens,*
*incredibili rotans manuum celeritate;*



in

in Taraphae Moäll. v. 23 (cod. Zouz. v. 24); et سوارة الضبع in versu Abulolae, cit. a Reiskio ibid. p. 56:

اذا الضبع الشهباء حلت بساحتي ذخوت عليها كل سوارة الضبع

*Quando hyaena nigra procumbit in atrio meo, extraho contra illam omnem brachia motitantem* (camelum.)

In quorum priore loco Zouzenius الوخد explicat per الزميل; conf. et mox dicenda.

In posteriore hemistichio memoratur a Zouzenio gemina lectio, quae tamen fere eodem redit: altera بذات خف, hoc est *pede instructo ungulâ*, uti et scribitur in Leidd.; altera apud Zouz. et Jonesium بوخد خف. Hoc وخد uti et وخدان *Incessum velocem* notat: sic تشنعت وخد النعام *Rapide pergit celeri cursu struthiocameli;* apud Gjeririum, cit. Reiskio ad Tar. p. 49; atque itidem de *properato gressu camelorum* وخد القلاص adhibetur ab Abulola in Sekt-essend, carm. 1 : 1, etiam exhibito a Golio in Append. Gramm. Erp. p. 228.

—— —— أعن وخد القلاص كشفت حالا

*Num ex properato gressu camelorum detexeris statum* (robur eorum, vel iter?):

ad quem locum Tebrizius in Schol. MSS. illud explicat. — خف autem non tantum *ungulam* notat, uti altera lectio exigit, verum et *pedem*, quae significatio in hac requiritur; ex. gr. in Adagiis Golii p. 68, coll. ejus notâ ad Adag. 8:

ان دمي اظلك فقد نقب خفي

*Si cruentum (saucium) est latus tuum, equidem meus perforatus pes est;*

sive, uti melius apud Meidânium MS. n°. 56 legitur:

أن

إِنْ يَدْمِ أَظَلُّكَ فَقَدْ نُقِبَ خُفِّي،

*Si sanguinem fuderit unguis tuus, utique perforata sunt ima pedis mei.*

Orta autem mihi videtur altera haec lectio apud Antaram ex eo quod illud وخد saepius de camelis jungatur cum موارة, quod modo vidimus in aliis codicibus pro praecedente زيافة exhiberi.

V. 24. In sensu hujus versus constituendo rem acu haud tetigisse putem Jonesium, qui integro versu de struthione sermonem esse credit, quemque secutus Hartmann ideo vertit: *Sic in cursu suo vespertino calcat humum avis auribus carens, cujus pedes parum tantum a se invicem distant.* Sed tunc تطس ut fem. non quadrat cum masc. مصلم, quod praeterea sic in Nominat. non in Genitivo stare deberet. Forte, licet vulgarem expresserit in textu, fefellit Jonesium varians lectio, quâ in duobus codd. Leid. pro تطس datur اقص *frangit;* quod vero eâdem difficultate laborat, nec nisi glossa est, pro ipso verbo substituta, cum elegantiam repetitarum e versu 23 vocum non perspexerint illorum codicum scribae. Potius igitur mihi videtur sermo de camelo in priore membro continuari eaque in posteriore cum struthione comparari: *Immo est ipsâ etiam vesperâ* (quamquam post iter nocturnum et subsequens diurnum), *ac si adhuc confringendi essent colles — proxime inter pedes struthionis auribus carentis.* Facit enim poëta, ut recte observat Zouz., hic transitum ad struthiocameli descriptionem incipiendam; talisque transitus, apud Arabum poëtas passim usitatus, hic est facilis, cum multa utrique huic animali sint communia, coll. Bocharto, Hieroz. Parte II p. 223 et sq. mediâ et p. 248 med. — Inde etiam est inter Adagia a Golio exhibita p. 120: مثل النعامة لا طير ولا جمل *Instar struthiocameli; neque volucris,* ne-

*neque camelus.* Immò struthiò Turcice dicitur دوه قوشي, quasi dicas *camelus avis*, coll. A. Schult. ad Job. p. 1127. Hinc et in Apologo Arabico „ Struthiocamelus, si volare jubeatur, dicit: Ego „ camelus sum; si onus portare, respondet: ego sum volucris." coll. H. A. Schult. in rariore libro Spec. Prov. Meid. (Lond. 1773) p. 26. Hinc tandem duo illa animalia saepius jungunt scriptores, ut in Vitâ Tim. Tom. II. 116: 18, et 432: 11.

Geminum autem putem ab Antarâ in hoc versu captatum esse acumen: alterum, in notione *vesperae*, quâ etiam camelus ejus non magis fatigata est quam si per totam noctem diemque non cucurrisset; alterum, in describendo ejus cursu, ac si esset *inter pedes struthionis*, i. e. tam celerrimo ut illa arctis hujus gressibus quasi adhaereat — Velocitas enim cursus struthionis apud Arabum scriptores utramque facit paginam. E multis tantum pauca. Sic praeter Gjeriri locum ad v. 23 citatum, struthio, ut hic, comparationi velocitatis inservit; uti apud Hâreth in Moällekah MS. v. 10:

بزفوف كأنها هقلة ام رئال دوية سقفاء

*Sedens in camelo, celeri instar struthionis, pullorum matris, deserticolae, eminentis ut tectum.*

Et apud Meidâni MS. n°. 2357 est Proverbium اشرد من نعامة *velocior quam struthiocamelus.* Ita Labîd, in Moäll. MS. v. 67 equum suum describens, dicit:

رفعتها طرد النعام وفوقه حتى اذا سخنت وخف عظامها

*Impello eum ad currendum velocitate struthionis, immo vel majore; — usque dum excandescat, et levia fiant ejus ossa.*

Ubi tamen in cod. Zouz. وشله pro وفوقه legitur. Et Prov. apud Meidânium MS. n°. 107: الأوب اوب نعامة *Reditus ejus est reditus stru-*

*struthionis;* quod Meid. exponit: يضرب لمن يعجل الرجوع ويسرع فيه *dicitur de eo, qui accelerat reditum, atque in eo festinat.* — Describunt hanc struthionis velocitatem Itinerum scriptores, quorum narrationes collegit S. Oedmann, *Vermischte Sammlungen aus der Naturkunde, 6ter Heft, Bl.* 48. *fgg.* — Hinc et speciatim camelus velocitate cum struthione comparatur Hârethi loco modo exhibito et a Poëtâ apud Jonesium in *Histoire de Nadar Chah,* Tom. II p. 242.

Praeter hoc geminum, quod modo explicuimus, ab Antarâ captatum acumen, forte etiam tertium in hac comparatione adest, situm in illâ quidem cursus struthionis velocitate, quâ vesperi ad lustrum suum revertitur; si saltem ea speciatim velocitas tanquam major comprobari possit. Tunc hoc de tempore etiam intelligi possit initium v. sq. cum اوى non tantum sit *se recipere* ad aliquem, sed et *quiescendi ergo*, et quidem *interdiu* vel *noctu.* Ponit quidem illam vespertini reditus velocitatem Reiskius in not. ad Tar. p. 61, vertens locum, de quo mox dicam: *Iuro tam celeres non fuisse aves aurae nigras* (aquilas,) *neque ventosas struthiocamelos, quando vesperae consuetum lustrum repetunt.* Vereor tamen ut recte legerit ac verterit. Locus ille est Abulolae, in Sekt-Essend MS. Carm. v. 34 sq. et in codice meo sic legitur:

فاقسم ما طيور الجو سحما ٭ كهنّ ولا نعام الدوّ روحا ۞

Praeterquam enim quod ibi penultimum vocabulum non est الدوى *aegrotus*, quod ille *ventosum* dat, sed الدوّ *deserti;* uti non solo in Hârethi loco modo citato *struthio* dicitur دوّيّة *deserticola;* sed et نعام الدو *struthiones deserti* translate figurant equos celerrimos,

mos, apud Motenabbi MS. carm. 241 codicis mei; magis autem ad rem nostram facit versus Abulolae vocabulum ultimum; illud quippe non est رُوَّحًا *redeuntes*, praesertim *vesperi*, *ad loca sua* aves, a sing. رَائِحَة sed, uti praecedens سُحْمًا et sq. فُيْحًا, sic رُوحًا ut collectivum ab أَرْوَح, et ut epitheton struthionis sumendum: *qui anteriora pedum ab invicem divergentia*, *calces vero propinquas*, *habet:* uti omnis struthiocamelus, observante Golio, et fusius Gjeuhario, collatis etiam Abou-Dhoaibi et Aïschae versibus. Manifeste quidem id indicat Tebriz. MS. in Scholiis ad h. Abulolae l. ubi haec habet: فالسحم جمع اسحم وهو الاسود. الدو الارض المقفرة والروح جمع روح وروحا ~ والروح تباعد ما بين الرجلين واراد بالطيور السحم الحقبان اراد انهن اسرع من العقبان والنعام، Dubito igitur, saltem ex hoc Abulolae loco, majorem illam prae ceteris vespertini cursus velocitatem struthioni tribuere, ut facit Reiskius; nisi forte huc pertineat Prov. ex Meidânio modo citatum.

Concludit tandem poëta noster hunc versum per additum epitheton مصلم *auribus truncatum*. Eo intelligi *struthionem*, non tantum hic sed et ad v. 27, observat Zouzenius; extrinsecus enim aures ejus vix conspici posse notum est. Ita et Poëta cit. Scheidio ad Cant. Hisk. p. 233:

وان انتم لا تثاروا واتديتم، فمشوا باذيان النعام المصلم ۞

*Quodsi vos vindictam negligatis, caedisque accipiatis pretium, struthionem praecisis referetis auribus.*

Vid. et versum Zoheiri infra ad v. 27. Hinc etiam eum surdum esse volunt Arabes, coll. Bocharto, in Hieroz. P. II L. II c. 14 p. 227 et cap. 17 p. 261 de quâ sententiâ cf. H. A. Schultens ad Meidânium p. 207 sq. — Ceterum locus hic citatur etiam a Schol. apud

apud Rosenmüllerum ad Zoheir Moäll. v. 54, ubi tamen Rosenm. in textu Zoheiri perperam منسم punctat, et p. 60 in glossâ ad hunc v. تفسيرة pro ذفسيرة legendum est.

V. 25. Hoc versu et duobus sequentibus struthionis, ad cujus descriptionem modo transitum facilem fecerat, nonnulla attributa memorat poëta, ita more suo ab eo proposita, ut quaeque comparatione quâdam adornet; sic hoc versu aditum juvencarum struthionum ad matrem suam confert cum modo quo camelorum agmina se ad eorum ducem Habyssinium recipiunt. Etsi enim قلوص ejusque collectiva قلص et قلاص (de quorum formâ ad v. 10 dictum) vulgo, monente Golio, tantum de *camelo* adhibentur, ex gr. in Abulolae loco ad v. 23 citato, et nonnunquam de *eâ quae jam in equitando inservit*, uti apud Poëtam cit. Reiskio ad Tar. p. 99.

نفرت قلوصي من حجارة حرة بنيت علي طلق اليدين وهوب

*Fugiebat camelus mea a nigris lapidibus congestis super laxum manibus; donatorem.*

proprie tamen *camelum juvencam* notant, et quidem *femellam*, opposite ad قعود *marem*, ut ait Schol. ad Haririi Cons. I p. 2, et magis perspicue Tebrizius ad indicatum jam Abulolae locum: القلوص من الابل لا تكون الا انثي ولا يقال الذكر قلوص; illa scilicet sicuti *puella*, hic sicuti *puer* inter homines, ut addit Nuweirius apud Schult. ad Meidân. p. 5: القلوص من الابل كالجارية من الناس والقعود كالغلام Nec vero tantum de camelo usurpantur, sed etiam, uti hic loci, de *struthione*, *ejusque pullo*, uti recte addunt Zouzenius et Golius; imo de quovis animali, *proceris pedibus*; *magnis* igitur *gressibus incedente* et *veloce*; cum similitudo ducta sit ab hominibus, qui vestes *substringunt* ad citius eundum, sive currendum, uti observat et ex Hamasae loco ac Tebrizio probat Schult. l. c.

Notari porro merentur formae حزيقة ejusque collectiva حزيق et حزائق, quae affert Schol. ut parallela nostri vocabuli حزق *agmina*. Desunt enim non tantum apud Golium sed et Gjeuharium, qui vero pro usu vocis حزق etiam hunc locum affert.

De *Jemanensibus camelis*, et comparatione illarum hic loci, conferri meretur Amr'alkeisi Moäll. v. 80 (cod. Zouzenii v. 76.)

والقي بصحراء الغبيط بعاعه ۚ نزول اليماني ذي العياب المحمل ۞

*Postea projecit in Sahralgabit collectas suas sarcinas, — Descendendo sicut descendit camelus Arabiae Felicis, qui sarcinis est onustus:*

in primis etiam quia Ibn-Nahhâs in schol. ad illum locum talem اليماني ut احمر واصفر describit; si modo Amr'alkeis *camelos*, uti Lettius supplet, indicare voluerit. Potius tamen crediderim non de his, sed de hominibus, et quidem *mercatoribus Jemanensibus* sermonem esse; tum quia Ibn-Nahhâs id per verbum نشر *Explicuit supellectilia*, indicare videtur; tum praesertim, quia Zouzenius aperte habet: نزول اليماني اي نزول التاجر اليماني.

V. 26. In hoc versu, qui etiam a Gjeuhario in حرج citatur, poëta, ut struthionis insignem altitudinem simulque capitis ejus et colli perlongi formam significet, iterum comparatione utitur: verticem illius capitis in priore hemistichio pingit ut signum erectum, in quod juvencae ejus oculos habeant defixos. Hujus rei rationem redditurus, alteram comparationem cum pilento feminarum in posteriori hemistichio adhibet.

Posterius hoc hemistichium وكانه حرج علي نعش لهن مخيم ۞ potest quidem verti: *Est enim illud sicut pilentum, feminarum in usum, pro tabernaculo alte collocatum.* Haec saltem mens est Zouzenii, qui مخيم refert ad حرج, uti et facit Jonesius, et cum eo Hartz

Hartmann (licet hi نعش علي non dent), ex explicatione Zouzenii, *in loco excelso*, sed sensu participii passivi pro منعوش, ut sit *pilentum, quod elatum et tectum tentorio simile est.* Subdubito tamen. Si enim مخيم jungendum est cum حرج, deberet illud, ut hoc, in Nominativo, non vero in Genitivo, stare. — Vocabulum نعش puto non tantum esse *lecticam portatilem, in quâ defertur vir spectabilis aegrotus;* quem usum affert Golius ex Gi. et نعش الملك a Giggejo exponitur *vehiculum simile lecticae ad regem aegrotum gestandum;* uti illud adhibet Hamza Ispah. in Schult. Hist. Joctan. p. 32; sed suspicor forte esse *lecticam portatilem* generatim, sive sit *solium;* ut et ille dat, sive simile quid *quo cubatur;* forte quidem ejusmodi *stragulum*, quod نمط vocatur, quoque mulieres in pilentis considere dicit Zoheir in Moäll. v. 9 (cod. Zouz. v. 8 et ex ejus lectione):

علون بانماط عتاق وكلة ، وراد حواشيها مشاكهة الدم

*Adveniunt puellae stragulis pulcris insidentes; conopeorum suorum limbi rubri sunt, sanguinem aequantes.*

Ubi Ibn-Nahhâs الانماط quidem explicat بسط يوضع فوق الهوادج sed Zouz. melius الانماط جمع نمط وهو ما يبسط من صنوف الثياب — Tunc مخيم referrem ad نعش, quorsum casu suo pertinet; verteremque *feminarum pilentum supra lecticam in earum usum tanquam tabernaculo tectam;* uti Golius verbi خيم Intransitivae notioni, *Tabernaculo aut re simili tectus fuit*, etiam Transitivam addit, *Operuit* locum aliquâ re: in primis *umbrae captandae ergo. Tabernaculo simile fecit.* Confirmor in hac explicatione per observationem Gjeuharii in حرج, ubi, post exhibitas varias vocis الحرج significationes ultimamque مركب النساء, addit:

وربما وضع فوق نعش النساء وقال عنترة يصف ظليما قلعه؛
quod tunc ex nostro versu probat.

De *pilentis* porro seu sellis, camelorum dorso impositis, quibus velo obductis insident feminae Orientales iter facientes, ut re notissimâ, haud opus est ut quid addam. Nonnulla etiam collegit Rosenmüllerus ad Zoheir l. c. — De vocabulo حدج ab eo adducto est tamen dissensus. Golius ex Mar. dicit esse idem quod هودج seu pro eo *pilentum camelinum*; ex Gi. vero affirmat esse *vehiculum muliebre huic simile*. Postremae huic sententiae accedit prioremque negat Meidâni apud Reiske ad Abulfedae Annal. T. III p. 92: الحدج مركب ليس برحل ولا هودج تركبه نساء العرب *Hadag est vehiculum, quo feminae Arabum vehuntur et a rahel et a hudag diversum.* —

Ab ipsâ autem imagine haud multum abludit quod struthio *eminere* dicatur *ut tectum*, in versu Hârethi MS. supra ad v. 24 citato.

V. 27. Alia struthionis attributa nunc descripturus poëta, novam, sed non nihil obscuram, comparationem instituit, in quâ tria momenta recte observat Zouzenius: primum, ob struthionis nigredinem induci *servum*, cum Arabum servi Nigritae sint; alterum, ob struthionis alàs, servo illi vestem longam pelliceam tribui; tertium, quia uterque مصلم et اصلم dici poterat. — Postremum hoc struthionis epitheton, مصلم, etiam adfuit v. 24. Tam hoc autem quam primum in hoc versu, صعل, *exigui capitis*, jungitur etiam a Zoheir Ibn-Abi Solma apud Gjeuh. in اوا ed. Scheidii p. 6.

كان الرحل منها فوق صعل من الظلمان جوجوه هواء ۞
اصك مصلم الاذنين اجنا له بالسي تنوم واء ۞

*Haud secus ac si sella ejus imposita esset exiguo capite praedito cuidam*

E

*E maribus struthiocamelorum, cujus pectus pavidum;*
*Collisori genuum, mutilo auribus, gibboso:*
*Apud quem eodem loco sunt arbor Tennouma et Aaö.*

De illius autem parvo capite et sexcentis ſtruthionum capitibus, in unâ coenâ ab Heliogabalo ad comedenda eorum cerebella exhibitis, conf. Bochart, Hieroz. P. II Lib. II cap. 17 p. 260.

Dubium porro videri possit sitne hic in voce ببيض notio *albedinis* an *ovorum* praeferenda, cum utraque habeat quod ei obstet. — Priori quidem, tum quod verbum عاد notione *visitandi* similibusque non cum praepos. ب, ut hic, sed cum accus. soleat construi, unde ببيضه hic accusativus foret; tum quod struthio ab albedine utique parum laudis habeat, ob colorem suum potius luridum et tanquam conspurcatum; nisi id praedicatum hic ironice (ut mihi quidem videtur) sumamus; tum tandem, quod etiam Zouzenius, licet diversas comparationes hic recensens, tamen de eâ albedinis sileat, quin potius ejus nigredinem in comparationem cum servo Aethiope adducat. — Altera notio praeplacuit Jonesio, post quem Hartmannus etiam vertit: *visitat ova;* pro quo et unus codex Leid. ببيضة *ovum unum* exhibet. Uti autem hoc minus probandum, ita illud etiam quâdam difficultate laborat, quia pronomen masc. in ببيضه *ova sua* vix convenire videtur struthioni mari; quod perspiciens Jonesius hoc modo supplet: *to visit the eggs, which his female left in Dhulasheira.* Praeterea ex utrâque hac translatione nullum idearum nexum perspicio inter descriptionem illam struthionis in priore et comparationem ejusmodi quae datur in posteriore hemistichio.

Quid autem, si prius eo modo verti possit ut causam similitudinis cum tali servo, qualis in posteriore memoratur, contineat?

Id quod, ni fallor, ipsa vocabula ferunt. Cum enim verbum تعهد, quo Zouzenius nostrum عاد exponit, non tantum sit *visitare*, aut *saepius ac quasi renovando* quid *facere*, verum etiam i. q. تفقّد *Frustra quid quaerere ac desiderare*, *destitutum esse*, quo sensu فقد occurrit locis in Lex. meo citatis aliisque multis; postremam hanc notionem equidem nostro عاد tribuerim, hoc sensu: *quando frustra quaerit ova a femellâ suâ derelicta*, *tunc* propter alas suas nigras, et prae dolore, (ut solent aves moerentes) demissas et sidentes, *similis est servo aethiopi longâ veste pelliceâ induto*. — *Sidentes* enim *alas struthionis* etiam describunt poëtae; sic in Diwân Tahmân Kelabitae MS. Carm. III: 6:

كأنّ رواقه وكفاءه * سقطان من كنفي ظليم نافر

*Ac si velum tentorii, ejusque replicata lacinia*
*Essent sidentes alae struthiocameli fugientis*;

uti vertit Schroed. Origg. p. 93, qui et duo alia loca in hanc rem adducit. — Et quod ad alterum, non tantum struthiones femellae pullos, sed et ova sua, deserunt, conf. Schol. ad Nawâbig no. 116, ubi النعامة تهجر بيضها وبيض اخرى تحضن *Struthio deserit ova sua, et ova aliena incubat*; et Demir ac Marmolius, apud Bochartum, l. c. p. 260 et fusius p. 251 et seq. Hujus rei causam, ut uno defungar loco, dat Merzouki apud Reiske ad Tar. p. 97, sc. „ ob stuporem et vaecordiam ejus. „ Ova enim sua ignara alicubi relinquit, cumque invenire iterum „ nequit, oberrat, et alienis haud raro incubat, suos faetus esse arbitrata." etc. Unde Prov. احمق من نعامة *struthione stolidior*. conf. et H. A. Schultens ad Meidân. p. 226, aliaque plu-

plura similia Proverbia, tam apud Bochartum, l. c. p. 252 quam apud Meidânium MS., ut: اذل من بيضة البلد no. 1697; اضيع من بيضة البلد ibid. no. 2648; افسى من بيضة البلد ibid. no. 3271; et versus Ibn Hormae ibid. no. 1312:

كتاركة بيضها بالعراء وملبسة بيض اخري جناحا

*Instar illius quae sua relinquit ova in tractu aperto, — aliena vero suis tegit alis.*

Si quis autem ob difficultatem pronominis masc. in بيضه potius cum uno Cod. Leid. بيضة *ovum unum* legendum praetulerit, dolor ille struthionis maris illustrari possit ex alterá observatione Merzoukii l. c. p. 98: „ Struthiocamelus, cum non nisi unum semper „ edat, eo majore tenerrimi amoris sollicitudine id obit, timida „ ne sibi pereat."

V. 28. Citatur hic v. a Gjeuh. in وسع et دحرض uti et pars ejus a Meidânio, loco mox citando, ubi fere eadem leguntur quae apud Gi.

A digressione suâ nunc redit poëta ad camelum suam, quod, si non ex sensu quidem manifestum esset, satis appareret quia non amplius vocabula masculina, ut de struthione, sed feminina, uti antea de camelo, adhibet.

Possit quidem sensus hujus versus esse, tantam celebrari cameli agilitatem, ut quis eam potus hauriendi causâ tuto in terram hostilem adigere posset, cum illa post haustam aquam agilitate suâ celerrime imminens periculum aufugeret; at videtur tamen is nimis subtilis. Putem quid aliud subesse. Quamquam enim nihil de aquis *Dohrodhâni* noverimus praeter ea quae mox dabo, ex observatione tamen Zouzenii, per *Deilem* hic innui hostes poëtae, adeoque per *aquaria Deilem* indicari aquaria hostium illo-

rum,

rum, crediderim ex oppositione *aquas Dohrodhâni* fuisse aquas vel tribus poëtae vel ipsius tribuum amicarum et sociarum. Verterem igitur: (Camelus illa mea) *bibit quidem ex aquis Dohrodhâni; — sed, mox declinans, fugit ab aquariis Deilemitarum hostilibus.* Vocabula enim حوض et Coll. حياض etiam saepe adhibentur in malum sensum; sic حياض الردي *piscinae* sive *lacus exitii*, apud poëtam cit. a Bocharto, Hieroz. P. II p. 152; حياض الموت *cisternae mortis*, in Taraphae Moäll. v. 73, et Amralkeisi Moäll. v. 58, uti et in Schult. notis ad Excerpta Hamâsae p. 432.

Hinc mens poëtae in hoc versu possit esse, ut laudet camelum suam gemino nomine: cum, quod ea tam perspicax tamque fidelis illi sit ut aquas hostium, saepe a domino ejus oppugnatorum adeoque sibi cognitas, non tantum ab aquis amicae tribus distinguere noverit, sed et has amet, illas vero aversetur; tum, quod tam magnos gerat spiritus, ut, quanquam sitibunda, tamen ad illas non subsistat ad bibendum, sed vero deflectat et eas suâ sponte aufugiat. — Quod igitur hic loci sic in laudem cameli suae dicit poëta, ejus fere contrarium alibi ovi imputari solet; ut quippe cum impetu quidem ad potum ruat, sed reverti nesciat, nisi inde abacta; unde Proverbium, in Adagiis Golii p. 105; أحمق من النعجة علي الحوض *stolidior ove quae apud aquarium consistit*; collato et H. A. Schult ad Meidânium p. 226.

Ubi sita fuerint *aquaria Deilem* equidem ignoro. Memoratur quidem *Deilem*, provincia septentrionalis Persiae admodum montana, cujus cavernae ut asyla daemonis albi habitae, in mythologiâ veterum Persarum celebratae sunt, atque unde Proverbium كانه في حبش الديلم occurrit in *Les voyages de Sind-bâd le*

*le marin*, ed. a cl. L. Langlès (Paris. 1814), p. 109 textus Arabici, coll. ejus notis p. 161; haec vero hic nequit intelligi.

Quaenam quoque fuerint *aquae Dohrodhâni* (non *Dehradhain*, ut scribit Jones, aut *Deradhain*, ut Hartmann) nos etiam magnâ ex parte latet. Id tantum de iis scribit Meidâni-MS. ad Prov. فقال براميتين كما قال Prov. 711: تسالني براميتين سلجا عنترة شربت بماء الدحرضين، واذما هما وبسع (leg. وسبع) ودحرض وهما ماءان او موضعان، فثني بلفظ احدهما كما يقال القمران، Eadem fere habet Gjeuh. in دحرض, nisi quod praemittat الدحرضان اسم موضع. Eandem tantum rationem formae dualis, sed magis perspicue (quamquam vocabulum nostrum ibi et apud Ibn-H. semper cum ص scribatur), dat Ibn-Nahhâs: الدحرضان اسم مكان وقيل هاهنا دحرض ووسيع فغلب دحرضا لانه اشهرهما وهم يفعلون ذلك كثيرا في كلامهم Ita et fere Tebrizius. Paullo quidem major, nec tamen sufficiens, lux oritur ex alio loco Gjeuharii in وسع, ubi et (uti Meidânius et Ibn-Nah.) causam formae dualis indicat et situm determinat inter tribus Saäd et Banou-Koscheir, his verbis: وسيع ودحرض ماان بين سعد وبني قشير وهما الدحرضان الذي في شعر عنترة، Ubi tamen incertum est de quânam tribu Saäd inter multas ejus nominis agatur.

Tandem, quia verbo ازار hic recte a Zouz. quaedam notio tribuitur quae in I. e Golii Lexico exsulat, paucis eam confirmemus. زور cum med. Kesr. per *flectere*, *declinare*, explicat. Sic تزاور de sole *declinante* adhibetur in Corano 18: 16; et ازورار infra v. 69 a Zouz. per الميل *declinatio* exponitur; ipsumque ازور, cu-

cujus fem. زوراء hic occurrit, etiam in Collect. زور notat *declinantes* apud Poëtam in Schult. not. ad Exc. Ham. p. 484.

شككنا بالرماح وهن زور etc.

*Transfiximus lanceis, equis declinantibus* etc.

V. 29. Ipsa quidem vocabula ferunt, ut hic et sequens versus habeantur pro novâ descriptione velocitatis cameli; cum tamen ea jam supra memorata sit, potius putem illos cohaerere cum praecedentis hemistichio postremo, atque indicare quantâ cum velocitate camelus haec poëtae ab aquariis hostilibus fugiat; hoc modo: *Idque ac si amoveat latus suum dextrum* etc.

Uti verba نأى et ناء in nonnullis notionibus promiscue usurpantur, monente etiam Golio, ita nostrum نأى بجانب quodammodo convenit cum ناء بجانبه *obvertit latus suum*, nisi quod posterius translate adhibeatur, in Corano 17: 85 et 41: 52, pro *ingratus fuit.* — Quamquam vocabulum دف apud Golium tantum generatim *latus* sit, adhibetur tamen speciatim pro *latere* cameli, uti a Caäb ben-Zoheir v. 18 et ab Abou-Robeis apud Reiske ad Tar. p. 70. Illud latus cum hic وحشي *dextrum* dicatur, attentionem meretur observatio Zouzenii, *dextrum* hic nominari, quia ab eo neque descenditur a camelo neque adscenditur; eodem igitur more qui apud Europaeos circa equos locum habet.

Hanc autem cameli actionem, in comparationem adductam, dicit poëta fieri ab eâ *ad sonum illum, quem vesperi* (in deserto) *rudens edit magno capite deformis* (felis, sive aelurus). — Hoc vero animalis nomen non addidit poëta versui huic 29, sed ad initium versus 30 rejecit; contentus quod eum tantum et a clamore ejus vespertino et ut capite magno deformem descripserit. Amat enim noster, omissis nominibus Substantivis solummodo Epithetis non-

nonnullis designare animalia aliaque quae intendit; sic v. 20, 44 et 66 equum; v. 22 camelum; v. 24 struthionem; v. 25 custodem sive ducem camelorum; v. 33 et 41 iterum camelum (uti et in loco Abulolae ibidem in notis citato); v. 37 denarium (coll. ibi Zouz.); v. 38 cantharum; 48 lanceam; et v. 55 ensem. — Quum tamen etiam aliae deserti ferae his epithetis possent significari, addit poëta v. sq. nomen ferae ipsum هر, idque eodem casu Genitivo quo ejus Epitheton; unde nullum mihi dubium est quin lectio Jonesii هر جنيب in Nominativo, sit rejicienda, uti et haud convenit supplementum *aut*, quod interserit Hartmann, ac si geminum hic describeretur metus objectum, sc. *clamator nocturnus, aut felis fera.*

Sensus igitur versus est: camelum eam tam cito abire ab aquis hostilibus, ac si lateri suo dextro adhaerentem haberet aelurum, qui, simul ac ea se vertat ad illum, eam scalpat et mordeat, quem igitur ut amoveat, currit ea tam velocissime, ut videatur ipsum latus suum, in quo ille haeret, abjicere et aelurum velle effugere.

V. 30. Torquet nonnihil vocabulum جنيب hic loci, quod eam Zouzenius dicat hic idem esse quod مجنوب, adeoque, uti et Golius dat *a latere ductum* jumentum, oppos. τῷ مركوب, *cui quis insidet;* videretur quidem hoc nomen proprio illo sensu sumendum et ad camelum vel equum sive *qui a latere ducitur*, sive *ductilem* et *obsequentem*, hic referendum esse, uti Collect. جنائب occurrit in Vitâ Tim. p. 266: 4 et in Elmac. Hist. Sarac. p. 47. Vetat tamen hanc explicationem discrimen generis. Unde recte quidem Hartmann post Jonesium id ut epitheton felis, et malo sensu, accipit, sed vero ei notionem dat, quam in Verbo non novi: *Oder einer scheusslichen, wilden, auf sich gerichteten Katze.* — Sumse-

 rim

rim igitur hoc nomen figurate, uti aliis in locis *equus a latere ductus* transfertur ad *comitem itineris*, *lateri* quasi *alterius adhaerentem.* Sic in Excerptis Hamâsae p. 340, ubi affectus amoris poëtae cum catervâ Jemanensi adscendisse fertur جنيب, *ut itineris comes;* et in Nawâbig no. 38 idem fere de paupertate dicitur. Confirmant etiam hoc ejusmodi locutiones, quas in Lex. meo ad جنب et جاذب exhibui. — Hinc sensus esset: *Aelurus*, (inquam) *lateri ejus adhaerens; qui*, *quotiescunque se ei* (ad eum vulnerandum) *obvertat* — *irata* (camelus), *adoriatur eam unguibus ſimul et dentibus.*

V. 31. Hunc quidem et duo praecedentes versus videtur respexisse Reiskius, in Prol. ad Tar. p. xxxiv med., cum hunc horum versuum conspectum exhibet: „ Tantae agilitatis illam (ca-„ melum) esse, ut, cum succussis inter currendum visceribus gar-„ rulum quendam crepitum audiat effici, latitare credat in latere „ suo detestabilem aliquem et foedum magno capite atque corpore „ aelurum, qui lugubre canticum, et feralem quasi naeniam iden-„ tidem accinat. Saepius ergo admoto illuc ore invisum animal „ velle abigere, vix autem inclinata maxilla, tam cito resilire, „ ac si uncinata felis illius manu harpagata fuerit." Quomodo vero illa ex his versiculis exsculpere potuerit, difficulter perspicitur.

Quid hic loci sit رداع, non satis apparet e Golio, cui aeque ac Firuzabadio generatim est nomen appellativum, *Lutum et aqua*, *limus.* Zouzenius tantum *nomen loci* esse dicit. Ita et Tebr. ويروي علي جنب الدراع والدراع مكان ubi tamen pro الدراع forte legendum البراع *arundo*, praesertim quia Ibn-Nah., licet in posteriore loco itidem vitiose, dat: الرداع اسم مكان وروي علي جنب البراع والدراع القعب sed melius explicat Gjeuhari: الرداع

الرداع بالكسر اسم ماء citatque hunc Antarae locum. Cum igitur id hic speciatim *nomen* alicujus *aquae* sit, vix differt utrum cum 2 codd. Leidd. et Jonesio vocabulum praecedens legamus ماء an vero cum Ibn-Nahhâs, Zouzenio et Gjeuhario جنب *latus*, quod tunc hic *ripam* notat.

Nova autem et nonnihil obscura hic datur comparatio. Geminam de eâ sententiam refert Zouzenius: alteram, cum sono *arundinis cum frangitur* conferri *cameli procumbentis gemitum ex defatigatione ortum;* alteram, sonum *crepantis luti aridi* comparari cum sono *arundinis cum frangitur.* Ex geminâ illâ sententiâ, priorem quidem praetulerim, cum Jonesio et Hartmanno, quia melius cum significatione postremarum vocum convenit, sed partim tantum eam praetulerim et nonnihil mutatam, hoc sensu: (Si ea) *procumbit* (quiescendi causa) *super ripam Ridâö*, (est) *ac si — procumbat super arundinem, frangendo edentem fistulariae sonum.* — Suppleo igitur *quiescendi causâ;* non vero cum illis, *prae defatigatione*, nec *quod mole suâ adeo premeret;* nam omnia in his versibus ad laudem cameli tendunt. Ex meâ quidem interpretatione poëta vult agilitatem ejus cameli praedicare, ut tam leniter decumbat ac si esset super arundinem ariditate sonum edentem. — Possit tamen et alia mens poëtae fuisse, nempe camelum illam commoda quaeque flocci pendere et nosse dura quaevis pati, cum aeque jucunde decumbat super stipulas aridas ac super molles Ridâï ripas. — Tunc verti possit: *Procumbit* (ea quiescendi ergo) *super ripam aquae Ridâö*, *haud secus ac — procumbit super arundinem ariditate edentem fistulariae sonum.*

V. 32 et 33. Horum posterior datur etiam a Gjeuh. in زريف. — In priore versu, itidem non admodum perspicuo, mihi videntur vocabula معقدا *concrescens* et حش الوقود به (non الوفود ut dat

 Jo-

Jonesius), *accenso sub eâ igne*, secum in constructione jungenda, et verbum, quod sensum complet, ex initio versus posterioris etiam ad hunc esse referendum. — Ex sententiâ Zouzenii comparatio in hoc v. 32 iterum gemina datur: altera, *cranii*, altera, *sudoris; cranii* quidem cameli, ob *duritiem*, cum *cucumâ; sudoris* autem cameli, ob *nigredinem*, cum *Rob*, sive *succo inspissato* et *pice liquidâ;* sed ob *ebullitionem* sudoris, cum illâ *pice liquidâ*, *concrescente* et *admoto igne*, *ad latera cucumae ebulliente.* Uti vero posteriorem probabilem censeo, ita priorem nimis subtilem et poëtae nostro non tribuendam.

Quod autem in illâ datur vocabulum كحيل *pix liquida*, vel *naphta*, id non cum Jonesio *Cahîl* sed *Coheil* pronunciandum est; nam Gjeuhari manifeste dicit: الكُحَيْلُ مبنّي علي التصغير الذي يُطْلَي به الإبِلُ للجَرَبِ وهو النِّفْطُ قالَ والقَطِرانُ انَّما يُطّلَي به الدَبِرُ والقِرْدانُ؛

Ut tamen hanc imaginem nonnihil illustremus, ad duo attendendum est: tum quare *illius cranii partis* hic meminerit auctor, tum quid eum ad hanc *comparationem* potuerit ducere. Prius quod attinet, tam locus Abulolae mox citandus, quam in primis versus 15 carminis Caäb ben-Zoheir ostendunt poëtas id de industriâ facere. Sic Caäb:

من كل نضاخة الذفري اذا عرقت،

Quod Lette vertit: *Ex omni rorante circa cranii post aures latera;* in notis vero p. 122 recte, addens *cum sudat:* quodque Reiskius, in Lettii praef. ad Cant. Deb., non minus obscure reddit: *De illarum genere, quibus, ubi in sudorem incalescunt, exundant processus mamillares rivum liquoris.* ذفري enim *Cranii pars* *pro-*

*protuberans pone aures*, sive, ut Reiske loco Abulolae dat, *lobulus auris*, est illa pars capitis cameli, in quâ, monente Golio, sudor in camelis primum apparet. Idem affirmat Schol. ad Caäb l. c., quando illud exponit: وهي النقرة التي خلف اذن الناقة وهو اول شي يعرق من الابل اذا عرقت، Consentit et Gjeuhari a Lettio l. c. adductus. Dissentiunt tamen nonnihil Ibn-H., Tebr. et Ibn-Nah. ad nostrum locum: الذفريان الحيدان الناتيان (المنابتان Ibn-H.) بين الاذن ومنتهي الشعر Aliter iterum Ibn-H. in Scholiis ad Caäb ben-Zoh. MS. l. c. الذفر عقدة ثابتة في اصل البعير والناقة تعرق من شدة السير،

Alterum, quod hic observandum venit, ipsam comparationem spectat. Ansam quidem ad eam mihi videtur sumsisse poëta, tum ex eo quod illâ pice liquidâ inunguntur cameli, tum, ut monet Zouzenius, quod sudor ejus niger est. Hinc Abulola in Sekt-essend MS., etiam cit. a Reiskio ad Tar. p. 75, loquitur de مطلية قار الظلام *camelo illitâ pice tenebrarum*; et in altero ejus carmine, ibidem quoque p. 49 laudato, eâdem comparatione, quâ noster, utitur, licet ex ambiguo eam ad navem applicet:

تطلي بقار ولم تجرب كان طليت
بسايل من ذفاري العيس منباع ۞

*Inuncta pice, non tamen ob scabiem; ceu* (sudore), *e lobulis aurium candidarum* (camelorum *fluente*, *exuberante*.

In quo loco (ut hoc in transitu moneam) in voce منباع pro منبع litera Eliph eodem modo ad complementum vocalis Phata ob mensuram versus inseritur, uti mox in v. sq. ad ينباع pro ينبع fieri observat Zouzenius et fusius Ibn-Nah. et Tebr. Sic et in aliis locis inseritur litera Waw ad complementum vocalis Dhamma ُ, cujus exemplum dat Zouzenius.

Po-

Postrema tandem comparatio quam noster v. 33 adhibet, est cum *admissario*. Ea non tantum praestantiam indolis ejus indicat, uti ejus fere synonymum licet paullo minoris ponderis فحل apud Caäb ben-Zoheir v. 17, quemadmodum etiam Gjeuhari exponit الفنيق الفحل المكرم; sed in primis hic loci instituitur comparatio cum admissario, quando furibundus se huc illuc jactat et coxas pulsitat, eo modo quo nostrum فنيق describit poëta apud Reiske not. ad Tar. p. 66:

كانما يقم الرجال فنيق ملبن ۞

*Quasi viros conculcet et in dextram sinistramque mordeat admissarius coxas pulsitans.*

Praesertim quidem in comparationem hic adducitur admissarius tunc temporis quando, uti hic loci, est مكدم, hoc est, *quando alii admissarii eum mordent*, ut bene exponit Scholiastes.

Hi igitur duo versus huc fere redeunt: *Et sicut succus inspissatus aut pix liquida cum concrescit — accenso sub eä igne*, (ebullit) *ad latera cucumae*, — (ita sudor ejus) *ebullit post aures e cranio, cum ea irata — suisque freta viribus — utramque in partem animose se jactat ut admissarius, quem alii conantur mordere.* Quibus versibus recte observat Zouz. poëtam egregie suam cameli descriptionem claudere, cum epitheta gravia, insignia et multum complectentia cumulet, quae omnia ad camelum valde laudandum faciant.

V. 34. Citatur hic v. a Schehâb-eddin Ahmed Chaffâgiensi in Comm. MS. ad Haririi درة الغواص p. m. 29, uti et a Gjeuh. in قنع et غرف.

Absoluto cameli suae encomio, pergit nunc poëta ad suas ipsius laudes praedicandas; in primis ad specimina virtutum suarum, non tantum spiritus heroïci, verum et simul animi generosi atque indo-

-lis

lis mansuetae et lenis proferenda; in quibus usque ad versum 56 more sui aevi luxuriose exspatiatur.

Hoc versu igitur eo consilio se per subitam apostrophen ad Ablam suam vertit, cui non solum suas virtutes enarrat, sed ad quam deinceps ut earum testem provocat, quamque exspectat eum, signo per demissum in faciem peplum dato, non repudiaturam esse, cum non minus veri nominis heros quam genere nobilis sit et equestrem dignitatem tueri noverit.

Primo quidem adspectu videtur haec apostrophe nimis abrupta esse et absque ullo cum praecedentibus contextu. Etsi autem id saepius in fervido poëtarum Arabum stilo locum habet, et multo adhuc saepius ab interpretibus locum habere dicitur, id tamen hic, si penitius carmen inspiciamus, non obtinet; cohaeret enim hic locus cum v. 22, nam omnes laudes cameli suae ab illo versu usque ad hunc nostrum ideo tantum celebravit quia illa camelus, ut optabat, eum ad Ablam suam perductura erat.

Utrumque hujus versus hemistichium ita compositum est, ut posterius prioris sensum debeat constituere. De eo quidem Zouzenius duas memorat sententias: alteram, nullo modo Ablam decere ut fortissimum nobilemque ejusmodi heroëm repudiet; alteram, eum, qui ipsis equitibus cedere nunquam fuerat coactus, etiam Ablae ejusque similibus non imparem fore si ea illum repudiet. Posterius autem minas sapit, quas hic vix exspectamus, cum potius recensione rerum a se gestarum virtutumque suarum se Ablae commendare studeat. Pendet autem gemina haec sententia in primis a dicto اخذ الفارس utrum illud sumamus pro *vitae instituto et moribus equitis*, h. e. *equestri dignitate*, an pro *captivos facere equites*; ex quarum priore sententiâ esset: *tunc equidem noverim quid deceat equitem loricâ indutum*; ex posteriore vero vertunt Jones et Hartmann: *scias tamen me plurimos equites, loricâ indutos, captivos fecisse.* Quamquam autem illud *lori-*

*ricâ indutus* vel *induti* equites, huic explicationi magis convenire videtur, similisque fere gloriatio de victis equitibus galeâ loricâque munitis est in versibus Monaccheli apud Reiske ad Tar. p. 101, non multum tamen differt, hic quidem loci, utrum se equitem praestiturus sit an jam praestiterit. — Utitur enim hoc argumento eo consilio ut persuadeat Ablae non decere illam, ut tanti nominis et dignitatis virum tantumque heroëm repudiet.

Hoc enim indicatur per اغراق القناع *demittere calanticam suam coram eo* i. e. faciem suam non praebere illi conspiciendam, quod sponsa faciebat sponso, collato Ibn-Doreid ad v. 37 citato, sed peplo vultum ei abscondere; more puellarum Orientalium foras prodeuntium, et coram peregrinis se peplo obtegentium, uti satis notum, conf. ex gr. Abulphar. Hist. Dyn. p. 244, de viro eâ induto calanticâ se mulierem simulante. — Vir autem *peplum mulieris retegere* figurate dicitur pro pudicitiam ejus violare, in Vitâ Tim. 248: 4, ita *peplum suum demittere*, pudoris et pudicitiae signum habetur, hincque etiam transfertur ad urbem quae moenia sua ab expugnatione hostili intacta servat, ibid. Tom. II. 536: 13. Ipsa enim locutio a Gjeuhario in verbo غرق itidem explicatur اغرقت المرءاة قناعها اي ارسلته علي وجهها ex quâ constructione in hac glossâ insuper apparet, in versu nostro pro دوني القناع perperam in altero Cod. meo Gjeuh. دون القناع legi, ut et Jonesium hoc et duo alia vocabula تغرفي, القناع, et طب minus recte pronunciasse; pejus etiam primum eorum in uno Cod. Leid. تعرفي scriptum esse.

Praeter illud autem repudium generatim sumtum, putem poëtam per

per demissam in vultum calanticam speciatim repudium ejus ut sponsi indicare, cum moris sit ut sponsa absque peplo ad sponsum ducatur: sic Seif-eddin Ali Ibn-Kezil Moschidd in versu citato a Makrizi apud Sacy, *Chrest. Ar.* Tom. I: 106 v. 3:

رياض كالعرايس اذا تجلي بزين وجهها تاج وقرط

vertente cl. Sacy, Tom. II p. 116:

*Telle une jeune mariée paroît aux yeux de son époux, lorsqu'elle lève son voile et lui montre son visage orné d'une riche coiffure et de pendans d'oreilles.*

V. 35. Amasiam suam hic non tantum testem facit virtutum suarum, verum et rogat ut illa eas, quae ipsi notae essent, celebret. Provocare ad ejusmodi testimonium, indicium erat ipsi de illis tam firmiter persuasum esse, ut tuto eas ipsius amasiae suae arbitrio auderet submittere. Petere ut illa eas celebret, tanquam sibi cognitas, non tantum summam eam convictionem involvebat, sed et honestum laudis a laudatâ puellâ tribuendae studium. — Posterius igitur ardenter petere solebant. Sic Tarapha ab amasiâ suâ ut post ejus mortem id faceret v. 91:

فان مت فانعيني بما انا اهله

*Mortuo itaque mihi lessum canta condignum.*

Quod hoc sensu etiam exponit Zouzenius MS. اذا هلكت فاشيعي خبر هلاكي بثناي الذي استحقه واستوجبه

prudenter enim addidit Tarapha: *prouti dignus sum!*

V. 36. Cum locutio *sapor injuriae meae amarus est ut sapor colocynthidis*, non bene Latine sonet, integer versus paullo liberius verti possit: *Si vero injuriâ afficior, tunc quidem injuria, quam refero, horrenda est — ejusque sensus non minus amarus quam*

*quam sapor colocynthidis.* Notio *saporis* (ut addit H. A. Schultensius ad locum similem in Fabulis Bidpaï p. 73), usitatissimâ in pluribus linguis metaphorâ, transfertur ad *sensum*, sive *id quod ab altero experiaris*; vel Active, *quod alterum sentire facias*, *eive gustandum praebeas.* — In vocabulo باسل ludit auctor ex ambiguo, notione *strenui* hic translatâ ad *strenue*, i. e. *violenter*, *illatam injuriam*, quam jure talionis referre solet pro injuriâ sibi illatâ; unde Zouz. illud recte per كريه *horrendum* explicat.

Hunc morem suum opponit poëta suavitati et lenitati indolis suae quando non laeditur, quamque v. praeced. descripserat. Utrumque enim, adeoque par pari referre, Arabum heroës sibi gloriae ducunt. Ita in Exc. Ham. p. 320: Cum nil restaret nisi hostilitas, دناهم كما دانوا *rependimus ipsis prout illi nobis appenderant.* Est enim, ut ibid. p. 324 additur, في الشر نجاة حين لا ينجيك احسان *hinc salus in bello, cum haud amplius prodest benignum esse.* Magis autem, tum ob hanc heroum indolem, tum ob similem comparationem, huc facit laus Taäbbetae-Scherran, ibid. p. 428:

له طعمان اري وشري وكلا الطعمين قد ذاق كل،

*Ei geminus erat sapor, ut mel et absinthium; quem saporem utrumque gustarunt omnes;*

hoc est, absque tropo, *Erat suavis ut mel, et acerbus ut absinthium; quod utrumque quilibet gustavit;* scilicet prius amici, posterius hostes.

Comparatio autem *rei amarae* aut *molestae* cum *absinthio*, *colocynthide* similibusque succis, (quos illustravit Celsius in Hierobotanico, Tom. I p. 403 et seqq.) in omnibus fere linguis obvia atque in primis Arabibus adamata est, ex. gr., praeter locum ex Excerptis Hamâsae modo laudatum, etiam in Nawâbig no. 71:

المرض.

المرض والحاجة خطبان، امر من نقيع الحنظبان ۞

*Morbus et egestas duo negotia amariora quam succus colocynthidis.*

Collato et Meidânii Prov. ibid. p. 149 citato: امر من الحنظبان وامر من المقر et, cum oppositione, Motenabbi MS. carm. 6: 4:

واذا سحابة صد حب ابرقت، تركت حلاوة كل حب علقما ۞

*Et quando nubes abalienati amoris fulgurat, — Reddit omnem dulcedinem amoris instar colocynthidis amaram.*

Ita et in metaphorâ nostrae simili, in Monum. Vet. Ar. p. 21:

امر على افواه من ذاق طعمها، مطاعمنا يمججن صابا وعلقما ۞

*Amarulenti super ora eorum qui degustant nos — Sapores nostri; exspuuntque ea* meras *colocynthides.*

Nec tantum eadem metaphora sed et eadem retributio, quae in nostro loco, conspicitur in versu Mansoris Chaliphae, apud Elmacin. p. 101:

سقيت كاسا كنت تسقي بها، امر في الحلق من العلقم ۞

*Bibendum dedi calicem, quem tu bibendum dedisti, — Amariorem in gutture absinthio;*

ut vertit Erpenius.

Praesertim autem eâdem imagine utramque tam boni quam mali retributionem se dare solere testatur Ibn-Doreid v. 136—138, qui versus egregii, quamquam nimis longi quam ut hic exhibeantur, cum nostro tamen et praecedente versu conferri merentur.

V. 37. Voces مدام et مدامة, quas Schol. explicat de *vino* in seriâ conservato, adeoque vetusto, illustravit Scheidius ad Cant. Hisk. p. 18, citato etiam Ibn-Nahhâsi ad locum nostrum scholio.

Quanta fuerit Arabum nobilium ac divitum ante Mohammedem gloriatio de liberiore vini potu, abunde cognitum reddidit Reiske

Ee 3 in

in not. ad Tar. p. 98 sq., unde plura non addo. Vix tamen me contineo quin pulchram eam vini descriptionem, emendatâ tamen ex cod. Zouzenii hic illic Jonesii lectione et pronunciatione, hic exhibeam, quam dedit Amrou in Moällekah MS. v. 1—4, quâque illud pingit tanquam quod curas pellat; animi quasi tempestates placet; ipsum avarum divitiarum suarum oblivisci faciat; et vel modestissimum juvenem tantum non dementem reddat:

أَلَا هُبِّي بِصَحْنِكِ فَاصْبَحِينَا، وَلَا تُبْقِي خُمُورَ الْأَنْدَرِينَا ۝

مُشَعْشَعَةً كَأَنَّ الْحُصَّ فِيهَا، إِذَا مَا الْمَاءُ خَالَطَهَا سَخِينَا ۝

تَجُورُ بِذِي اللُّبَانَةِ عَنْ هَوَاهُ، إِذَا مَا ذَاقَهَا حَتَّى يَلِينَا ۝

تَرَى اللَّحِزَ الشَّحِيحَ إِذَا أُمِرَّتْ، عَلَيْهِ لِمَالِهِ فِيهَا مُهِينَا ۝

Quibus quatuor versibus cum Jonesius in translatione suâ quintum addiderit, qui tamen neque in ejus textu neque in Cod. nostro aut Leidensibus obvius sit, elegantem ejus omnium illorum quinque translationem ipsis ejus verbis hic addimus:

*Holla! — Awake, sweet damsel, and bring our morning draught in thy capacious goblet; nor suffer the rich wines of Enderein to be longer hoarded:*

*Bring the well-tempered wine, that seems to be tinctured with saffron; and, when it is diluted with water, overflows the cup.*

*This is the liquor, which diverts the anxious lover from his passion; and, as soon as he tastes it, he is perfectly composed:*

*Hence thou seest the penurious churl, when the circling bowl passes him, grow regardless of his pelf:*

*When*

*When its potent flames have seized the discreatest of our youths, thou wouldst imagine him to be in a phrensy.*

Quia vero, ob illum vini apud priscos Arabas abusum, deinceps ipsum vinum a Mohammede interdictum est, nec tamen ejus asseclae lubenter ab eo abstinent, lepide hoc interdictum in rem suam convertit Abulola, in Sekt-essend MS. carm. 14: 46:

ولو انّا جزنا الى شربها النّهي عنينا بكلّ اصهب عان ۞

*Et si quidem transimus ad bibendum rem illam vetitam, — Per omne vinum curamus ut liberemus captivum.*

Comparat sic vini vetusti liberationem ex longâ ejus captivitate in seriâ, cum redemtione captivi, quae in Corano ut bonum opus commendatur. Hinc paullo post laetabundus exclamat:

ايّها الدرّ اذها فقت من بحر مخلّي الطريق للجريان ۞

*Hem largum haustum! utique redundavit ille pleno fluxu per longam viam e mari vacuefacto!*

Si autem Arabes tantopere largae vini potationi indulgebant, non minus in vino vetustissimo suam quaerebant gloriam. Jam ante Mohammedem id obtinuisse indicabit nobis mox Labîdi locus. Postea suum morem, vino octoginta annorum per multas noctes fruendi, ut familiare cum sponsâ commercium describit Ibn-Doreid v. 222:

يا ربّ ليل جمعت قطريه لي بنت ثمانين عروسا تجتلا ۞

*Hei! quot noctes latus suum utrumque lateri meo junxit filia octogenaria, sponsae instar quae retectâ se praebet facie!*

Inde etiam res suavissimas, ut salivam ex ore puellae haustam, non tantum comparant cum vino sed et cum vino vetustissimo; collatis versibus supra ad v. 13 citatis.

Por-

Porro pretium magnum, quo vinum suum vetustum emerat, indicat noster per duo postrema hujus versus vocabula المشوف المعلم *fulgens*, *signatus*. Quamquam enim nonnulli, monente Zouzenio et cum eo Ibn-H. Tebr. et Ibn-Nahhâs, *scyphum* intelligunt, vix tamen dubium est substantivum omissum, hic esse *denarium;* cujus quippe pretio vinum illud vetustum emerat poëta. Gjeuhari enim nostrum versum etiam hoc sensu citat: شوف شنت الشيء جلوته ودينار مشوف اي مجلو قال عنترة ولقد شربت etc. Sic verbum ipsum شاف notat *Polivit. nitentem*, *fulgentem*, *reddidit;* ex. gr. apud Amr'alkeis, loco supra ad v. 13 citato. Per hunc autem *denarium* aeque *aureum* ac *argenteum* in nostro versu posse indicari recte monuit cl. S. de Sacy, *Chrestom. Arab.* Tomo III p. 208 et 513; in alio autem loco, Haririi Cons. VII, *argenteum* potius designari ob comparationem cum البدر *lunâ plenâ.* Notat tamen etiam *numum aureum*, ut in versibus Consessus Hamadani, quem ed. cl. de Sacy l. c. p. 218:

يا حسنا فاقعة صفراء مشوفة منقوشة قوراء

*O egregium flavi coloris numum, quem fulgor et caelatura et magnitudo reddunt tam pulchrum!*

Non tantum vero Arabes aut copioso vini potu aut vino vetusto gloriabantur, verum etiam magno pretio, quo illud emerant. Sic utroque Labîd in Moällekah MS. v. 59:

أغلي السباء بكل ادكن عاتق او جونة قدحت وفض ختامها

*Magni emo vinum in omni subnigricante utre vetusto; — Aut in seriâ oblitâ pice, quae perforanda, cujusque frangendum sigillum.*

Ita et de magno hoc vini pretio dixerat Labîd ibid. v. 58, quem versum conf. infra in not. ad v. 52.

V. 38. Uti modo in optimo vini genere magnoque ejus pretio opulentiam suam celebraverat, ita eandem nunc ostentat poëta in variis pretiosisque poculis. — Primum erat زجاجة *scyphus vitreus*, et quidem *flavi coloris diversisque lineis pulchre ornatus.* Sic vocabulum hoc adhibetur a Mesoudio in Schult. Hist. Joctan. p. 174, et in versu Abou'l Gjarrâh, cit. a Schult. de Defect. ling. Hebraeae p. 183:

ابا الحسن ما زرتكم منذ سنة من الدهر والزجاجة تقلس

*Abul Hasan nunquam visitavi vos, inde — A longo temporis spatio, quin poculum vomeret.*

Alterum erat ازهر, omisso substantivo, ut in scholio et notâ marginali observatur, pro ابريق ازهر, quod mox in versu ex Hamâsa occurret, adeoque ejusmodi vas magnum e quo vinum in scyphum vacuefactum transfundi possit, et *cantharus major*, sive *vas rostratum album.* Haec saepe vel *argentea* erant vel *stannea*, uti in glossâ explicatur; inde et cum tali argenteo, tam ob albedinem nitentem (coll. schol. ad Diwân Hâdirah MS. Carm. 1: 2, cujus partem etiam dedit Lette ad Caäb p. 165) quam ob formam, comparatur collum Mohammedis, apud Abulfedam, in Vitâ Moh. p. 143 et in Traditionibus, ibidem apud Gagnier in notâ.

Huic etiam vasi majori tribuitur aliud epitheton, itidem, ut mihi videtur, ad ejus pretium indicandum, sc. مفدم. Quidnam eo hic significetur est quidem dissensus. Jonesius enim vocem بالشمال non pro *manu sinistrâ*, ut recte exponunt Ibn-H. et Ibn-Nah., id sumens sed pro *aquilone vento*, vertit illud: *operimento ejus contra vim aquilonis* bene munitum; quod vero hic indicari nequit, cum, contra, Arabes, ut vinum refrigeretur, illud aquiloni soleant exponere: unde شمول *frigidum vinum* notat,



mo-

monente Ibn-Nahhâs ad versum praeced.; quodque peculiariter erat in usum *diei aestu fervidi*, ut apud poëtam in Hamâsa, citatum Reiskio ad Tar. p. 114:

كان اباريق الشمول عشية اوز بالطف عوج الحناجر

*Vini lagenas quasi anseres, prope ripam ad lavandum curva colla submergentes.*

Atque hoc consilio non modo vinum aquiloni exponunt, sed et *vinum* miscent *aquâ, a vento septentrionali adflatâ*, مشمول, coll. Caäb Ben-Zoheir v. 4 et scholiaste. Ita sonus alicujus dicitur suavior من شمول علي كاس شمول بنسيم الشمال معلول *quam consortium poculi vini, frigidâ aurâ aquilonis temperati*; in Vitâ Tim. II. 934: 10. — Hinc igitur alii, secundum Abou-Gjaäphar in glossâ ad h. l. marginali ut et Schol. Leidd., nostrum مفدم vertunt *colo praeditum*; ex فدام 'Επιςόμιον. *quod imponitur orificio*, pec. *aqualis alteriusve vasis: ut per illud coletur liquor*: alii iterum, ex aliâ notione vocis فدام, quâ etiam est *Cidaris, capitis fascia*, hic ejusmodi vas intelligunt *e quo reges* (quasi *cidari tecti*) *bibere solent*. — Posterior explicatio exinde aliquod robur accipit, quod illud فدام eo sensu in Camouso idem dicatur significare quod عمامة; hoc vero non tantum est *cidaris*, ut passim, ex. gr. in Vitâ Timuri II. 64: 2 et 72: 9, verum itidem, uti nostrum فدام hic loci, poëtice poculo datur, coll. Schult. ad Prov. p. 284. — Haec vero si secum conferam, non video quid impediat quominus utramque hanc notionem hic loci jungamus; cum noster, uti supra saepe jam monuimus, figuras ex ambiguo magnopere amet. Tunc hic sensus esset: *colo, quo depuretur, instructum, qualeque est regis, cidari cincti.*

Quantam igitur vini vetusti copiam; quantam in poculis pretiosis

sis lautitiam; tantam etiam jactitat poëta in bibendo aviditatem, ne dicam gulositatem; ita ut, quum alterâ manu sibi praebeat plenum poculum exhauriendum, alterâ simul majorem cantharum paratum teneat ad iterum iterumque absque morâ infundendum. — Ejusmodi aviditati et lautitiae etiam postea indulsit Mohammed, cum asseclis suis in luxuriosis Paradisi hortis modo fere simili promittat *adolescentes circumeuntes* باكواب واباريق وكاس من معين *cum scyphis ansâ carentibus*, *cantharisque ansatis et poculis vini e fonte scaturientis*; in Corano 56: 18.

V. 39. Nihil hic observandum esset nisi Reiskius, in not. ad Tar. p. 98, hunc versum laudans, sensum ita constituisset ac si poëta consilio famae augendae opes suas bibendo disperderet:

*Cum bibo dilapido meas opes*, *ut fama mea sic ampla evadat et integra.*

Hoc tamen nec usus particulae ف post conditionalem اذا, nec contextus fert. Poëta enim v. sq. argumento quodam demonstrat se famam suam bibendo non deturpare. Similia etiam obstant translationi Verschuirii, in Dissertt. Schult. et Schr. p. 863: *sed fama tanta est*, *ut non vulneretur.* — Verterem potius: *Attamen cum bibo* (vinum), *meas quidem dilapido* — *opes*, *existimatio vero mea manet integra nec dedecoratur.*

Si igitur Antara tam insigni modo etiam inter bibendum curat famam suam, haud omnino vana erat quam ex eo quaerebat illo gulositatis tempore gloriola. Multum saltem praeferendus Taraphae, qui ex vitio hoc laudem sectabatur, cum gloriabundus exclamabat v. 50 sq:

وَمَا زَالَ تَشْرَابِي الخُمُورَ وَلَذَّتِي ، وَبَيْعِي وَإِنْفَاقِي طَرِيفِي وَمُتْلَدِي

إِلَى أَنْ تَحَامَتْنِي العَشِيرَةُ كُلُّهَا ، وَأُفْرِدْتُ إِفْرَادَ البَعِيرِ المُعَبَّدِ



Ita

*Ita nanquam destiti ingurgitare vinum, genio indulgere, vendere, perdere opes recentes, avitas;*
*Usquedum tota me familia aversata exterminarit, ceu camelum scabie detritum.*

Et tamen hic Tarapha, qui ipse famam suam adeo prostituebat, tam sollicitus erat, alio in loco, de aliorum existimatione tuendâ, ut *si qui eum lacerarent, illos, ne minis quidem praemissis, calice de cisternâ mortis potaret;* v. 73, quem infra ad v. 75 dabimus; ubi et locus Ibn-Doreidi v. 143 exhibebitur qui etiam huc pertinet.

V. 40. Hoc versu, uti ad praecedentem monui, argumentum profert auctor se bibendo famam suam non dehonestare, nam ad se rediens iterum in munificentiâ indolem suam ostendit et suum honorem ponit, ejusque rei testem vocat amasiam suam. — Liberalitate enim suâ semper gloriabantur Arabes; sic Motenabbi, apud Reiske ad Abulfedae Tab. Syriae Koehleri p. 208 v. 8 (qui in Cod. meo est v. 9 cum v. 5 apud Reiskium desit):

كفاني الذم انني رجل اكرم مال ملكته الكرم

*Satis mihi munimenti adversus reprehensionem est hoc, quod ille sum, — cujus exquisitissima pars opum sit liberalitas.*

Conf. et v. 11, ubi Cod. meus pro مبتسم dat يبتسم Idem fere, sed majori cum ostentatione, canit Monacchel, apud Reiskè ad Tar. p. 101:

لا تسالي عن جل مالي. وانظري كرمي وخيري

*Ne roga me de opum mearum mole: — adspice modo meam liberalitatem, formam et indolem.*

Hinc etiam multi inter priscos Arabas liberalitate suâ in Proverbium abierunt, ut اجود من حاتم *Liberalior Hatemo;* coll. Meidân. Schult. p. 133 sqq, ubi peculiare caput de eo e Nuwei-

weirio exhibetur, et plures recensentur hac virtute clarissimi. — Si igitur poëta noster munificus manebat, honor ejus non minus ei erat curae. — Posterius nostri dictum non ita intellexit Jones, vertens *honores igitur virtutes has*, *quas me possidere nosti*; acsi ذكرمي non esset Nomen Actionis cum Pronomine *honor meus*, sed ذكرم Fut. in II; quod tamen constructio non fert.

Gloriam autem suam non in crapulâ, ut Solma Ibn-Rabiä, apud Reiske ad Tar. p. 100, neque in dilapidatione omnis rei suae, ut modo ad v. praeced. de Tarapha vidimus, sed merito in illâ virtute sitam esse statuit poëta, cum ebriorum quidem sit, ut in donando sint prodigi, eos vero ad se redeuntes haud raro munificentiae suae poeniteat. — ندي enim, *uviditas*, *mador*, *ros diurnus*, *pluvia*, solet ad *munificentiam* transferri; sic Harir. III. 130 et Poëta cit. a Schult. ad Jobum p. 1122, atque alius in not. ad Harir. V. 127; uti et وبل *imber* de copiosâ eloquentiâ adhibetur Har. III: 174. Inde etiam ندي الكفين *madidus manuum*, hoc sensu occurrit in Excerptis Hamâsae p. 424. Immo translatam hanc significationem ipsamque hanc liberalitatem integrâ imagine exornavit Ibn-Doreid v. 66:

هم الاولي اجروا ينابيع الندي هامبة لمن عري او اعتفي ۞

*Hi sunt illi, qui fontes munificentiae, cum fervore ebullientes, manare faciunt cuivis accedenti aut beneficium captanti.*

Ex his autem dictis insuper apparet, nostrum iterum more suo ambiguum captare in geminâ notione vocabuli ندي, ita ut proprie *humorem*, i. e. *ebrietatem*, aeque ac translate *liberalitatem* per illud intelligere possimus. — Nec tamen ipse tantum liberalitatis suae praeco erat, verum eam celebrabant alii, coll. Prolegom. p. 12; sic et in Carmine, supra p. 15 in Notâ citato, p. 394:

وعنترة الفوارس ليث غاب * يصول وفي العطا بحر السماح

*Antara enim, heros heroum, leo est sylvae, — dum furit, at liberalitate mare superat.*

V. 41. Postquam liberalitatem suam et munificentiam satis extulerat poëta, pergit nunc ad virtutem suam heroïcam fastuose praedicandam; atque haec quidem amplam ei materiam usque ad versum 56 suppeditat. — Et sane, uti virtus ejus bellica ubique nota erat, collatis dictis supra p. 11, ita in Carmine modo citato, p. 393, ancillae ejus Amâram, عمارة, qui Ablam etiam amabat, alloquentes hanc nostri virtutem hoc disticho extollunt:

فدع عنك للاجاج بها والا * سقا لك عنتر الموت السماح

*Desine ideo illam importune petere, sin minus, — irrigat te Antara mortis poculo.*

Sed redeamus ad nostri Moällekah. Versus hic 41 in multis ejus vocabulis ut locus classicus a Grammaticis Arabum citatur: sic bis a Gjeuhario in حل, et in مسكا, uti et ab Ibn-Nahhâs ad Taraphae Moällekah v. 38. Unde quoque inter illos haud convenit aut de derivatione aut de significatione, quas duo in primis nomina حليل et غاذية hic habeant. In his igitur illustrandis Zouzenius ad h. l. prolixus est. — Quas de origine notionis in priore nomine profert diversas sententias, eas praeterimus, utpote mere Grammaticas; contenti generali significatione, quâ حليل Gjeuhario ut et Ibn-Nah., Ibn-H. et Tebr. hoc loco *conjux* est, quaeque notio etiam occurrit in Cor. 4: 27. — Haud minor tamen dissensus obtinet de voce غاذية. Quatuor ejus explicationes ex aliis dat Zouzenius, quarum aut secundam aut quartam praefert. Has vero cum etiam Golius, licet alio ordine, exhibeat, hic non omnes repeto, sed tantum observo locum poëtae, quem citat, etiam adduci a Gjeuhario in voce, ad confirmandam primam expli-

ca-

cationem, quâ غانية est *mulier marito suo contenta.* Primam enim sic breviter exhibet Gjeuhari: الغانية الجارية التي غنيت بزوجها uti et alteram: التي غنيت بحسنها وجمالها; hanc solam iisdem fere verbis, quibus Zouzenius, refert Zamachschari ad Nawâbig no. 47: التي غنيت بجمالها عن التزين. Duas jungit Schol. ad Tantarâni, in S. de Sacy *Chrest. Ar.* T. III p. 137: الغانية الجارية التي غنيت بزوجها عن الغير والمشهور انها التي غنيت كمالها عن التزين Tebrizius autem ad Abulolac Sekt-essend MS. Carm. II: 12, tres recenset: غانية التي غنيت بجمالها عن التزين وقيل التي غنيت في اهلها اي اقامت وقيل التي غنيت بزوجها عن غيره، Ibn-Nahhâs et Tebrizius ad hunc Antarae locum sic explicant: الغانية قيل هي التي استغنت بزوجها وقيل بحسنها وقيل الشابة — Aliam insuper formae ejus Collect. غواني notionem, sc. *puellarum cantatricum*, exhibui in Lex. meo, quae quidem loco in Vitâ Timuri 512: 10, non vero nostro convenit. Aliâ adhuc generali *puellae* significatione occurrit et vocabulum nostrum apud Poëtam, â Gjeuhario in جلا citatum:

رأين شيخا نريت مجالبه، يقلي الغواني والغواني تقليه ۞

*Viderunt senem, anterioribus capitis canum, — qui abhorrebat puellas, quem vero etiam abhorrebant puellae.*

Nostro autem in loco nulla harum notionum admittenda videtur nisi secunda, quam et expressit Jonesius quaeque forte cum primâ jungenda est, sc. *mulieris pulchritudine praestantis, eâque tam contentae ut illa ei pro omni ornatu sit:* sive *mulieris pulchritudine suâ sibi sufficientis, suoque marito contentae.* — Hinc ex ge-

geminâ hac significatione junctâ verterem: *Saepe et uxoris pulcherrimae, suâ tamen sorte suoque conjuge contentae, maritum, humi reddidi prostratum.* — Ceterum magna haec notionum huc usque exhibitarum discordia tolli potest ex ipsâ vocis formâ ejusque et verbi significatione; غانية enim est pp. *femina* voto *respondens* atque desiderio satisfaciens; hinc modo de *pudicâ* sumitur *uxore*, modo de *puellâ morum solutorum*, et speciatim de *cantatrice*, quae in Oriente haud optimae famae esse solet.

Sensum autem totius primi hemistichii paucis verbis bene in مكا explicuit Gjeuharius يصف رجلا طعنه — Verbum enim ترك hic plus notat quam *relinquere;* adhibetur quippe hic eodem sensu, quem fusius ad v. 50 videbimus quique optime in glossâ marginali codicis nostri ad utrumque locum indicatur, cum ibi exponatur per صير, et طرح *reddidit; projecit;* seu potius eâ significatione, quam Schroed. in Synt. Hebr. praegnantem vocat, *prostratum reliquit.*

In altero hemistichio pro تمكوا فرايصه, quod Zouz. ad Tar. et Gjeuh. in حل habent, tam Gjeuh. in مكا quam Ibn-Nahhâs, l. c., et Ibn-H. et Tebr. ad locum nostrum ut et Jones dant in sing. تمكو فريصته, sensu parum diverso. Eum tamen diversum reddere possunt duae vel tres notiones, quibus فريصة vel est *musculus scapularis*, qui in equis trepidare solet; vel *vena colli*, ex quâ incisâ in equo educitur sanguis; vel *nervus colli*, coll. Golio. Posteriores duas has significationes, *venae colli* et *nervi colli*, non attigit Zouzenius; sed primam tantum, *musculi scapularis*, sive *partis* illius *carnis*, aut *musculi qui sub axillâ seu inter humerum et latus* est; unde et solummodo ex hac unâ significatione argumentatur. Et ex hac tamen tres de sensu hujus hemistichii ortae sunt sententiae, quas profert. Consulamus tamen,

tam

tam primam quam duas ceteras notiones, quas memoravimus ab eo omissas. — Primam illam vocis significationem confirmat Ibn-Nahhâs, ad Tar. v. 98: الفريصة اللحم من اخر الكتف عند الجنب وهي اول ما ترعد، et magis definite Zouz. ibidem: الفريصة لحمة عند مرجع الكتف ترعد عند الفزع، uti et Schol. ad Harir. I p. 38: مضغة لحم في اخر الكتف تتحرك عند الفزع — Ex postremo hoc additamento, *trepidationem* eam *prae pavore* esse, illustrantur etiam pleraeque translationes, ad homines factae, quando ex. gr. *in acie* ترعد الفرايص *scapulae contremiscunt*, Taraphae l. c., collato in primis Haririi Cons. xxix, a Schult. ad Har. I p. 39 citato; unde etiam ad locutionem ارتعدت فرايصهما *contremiscebant eorum scapulae*, additur هيبة *prae formidine*, in Vitâ Tim. II. 952: 4; immo absolute haec locutio *summum pavorem* indicat, ibid. Tom. I. 456: 11, aliisque locis apud A. Schult. ad Job. p. 1129.

Cum autem haec *trepidandi* idea hic minus in censum veniat, putem etiam non tam notionem *musculi scapularis* sive *scapulae*, quam potius alteram, *venae colli*, e quâ, *in equo* incisâ sanguis educitur, hic assumendam esse; praesertim quia non musculis illis sed sanguini e venis educto verbum مكا *sibilare* convenit. Hinc sensus fere ille exsurgit, quem et Jonesius libere dedit: *ita ut sanguis ex ejus venis sibilaret, cum earum aperturam mea fecit lancea — ut buccam cameli, superius labium habentis fissum.* — Si tamen altera notio hic admitti debeat, possit forte etiam hic poëta, more suo, lusum ex ambiguo captasse in utrâque significatione; uti mihi videtur etiam fecisse Haririus Cons. I p. 36 in eâdem imagine ولا نبضت لي منه فريصة, cum ibi pro consueto aliquo *tremiscendi* verbo alterum نبض adhibeat, quod plerumque notat: *Pulsavit* arteria.

Ceterum شرق, quod breviter explicat Gjeuhari per جانب الفم, et quo apud Haririum, Cons. IX fere ad finem, dicitur de poëta: يغرد بملي شرقيه *Elatiore voce canebat distentâ utrâque oris buccâ*, fere eidem, cui hic, comparationi inservit in Vitâ Timuri II. 492: 4, ubi de eo moriente dicitur وتزبد شرقاه كالبعير المشنوق *Et buccae ejus spumabant, instar cameli habenâ valide retracti.*

Tandem vocabulum postremum اعلم fuse exposuit, nostro etiam citato versu, Ibn-Nahhâs ad Tarapham v. 38; sed sufficit magis succincta glossa الاعلم المشقوق الشفة العليا, quam Zouzenius ad illum versum (qui ei est 36) exhibuit.

V. 42. Vocabulum طعنة (sive ut Codd. Leid. et Reiske, in not. ad Tar. p. 84 hunc versum citans, legunt ضربة) hic ut nomen Unitatis pro *ictu uno* sumendum. Gloriabantur enim Arabes se uno ictu prosternere hostem. Ita infra v. 48: جادت له كفي بعاجل طعنة *liberaliter eum donavit manus mea uno tantum ictu celerrimo*; uti Schol. ibi, quod et hic occurrit, بعاجل طعنة per بطعنة عاجلة explicat. — Eadem sententia quamquam translata, regnat in Carmine Tograi v. 27:

لا اكره الطعنة النجلاء قد شفعت برشقة من نبال الاعين النجل

*Nequaquam abhorrebo confossionem amplam, modo conjuncta sit — cum jaculatione unâ quae fiat a sagittis oculorum patentium;*

coll. Schol. de nominibus illis unitatis; cujusmodi etiam ibid. v. 25 ذهلة est. Sic quoque Tarapha in Moäll. v. 82 gladium suum describit, ut كفي العود منه البدء *primo ictu efficientem*,

*ut secundo supersedere possit;* quod Zouzenius MS. bene explicat:

— كفي الضربة الاولي به الضربة الثانية فيغني البدو عن العود

Paullo aliter, et quasi humanitatis et clementiae ergo, ita loquitur Motenabbi, apud Reiske in Animadv. ad Abulfed. Tab. Syr. p. 208 v. 12 (cod. mei v. 13):

ويطعني الخيل كل نافذة لبس لها من وحايها الم

*Et infligit equitibus plagas tam altas, ut earum celeritas dolorem excludat.*

Hinc, cum verbum سبق pro vi suâ non cum accusativo sed cum له construatur, illud hic accipiendum est notione praegnante, quam Schroed. in Synt. Hebr. dicit, quaeque geminum fere verbum includit; ac si esset: *Eum meae praeverterunt manus, unum celerrime ei infligendo ictum.*

Quantum autem valuerit hic ictus, indicatur altero hemistichio, quod etiam citavit et vertit Schult. in Mon. Vet. Ar. p. 23, ad similem comparationem, ibid. p. 21: 4 obviam:

Stravimus regem etc. كان بخديه من الدم عندما *ac si ambas ejus genas infecisset sanguis draconis.* — Postremum autem hoc vocabulum, si a Jonesio *Anemone* vertitur, id inde est, quia vox عندم a nonnullis pro *sanguine Draconis*, sive specie gummi valde rubicundâ, alias دم الاخوين vel دم الثعبان dicti, et ex arbore insulae Socotora, عندم, manantis; ab aliis vero pro بقم *ligno, cujus decocto color pseudo-purpureus tingitur;* ab aliis denique pro شقايق النعمان sive *Anemone*, ut monet Zouzenius, habetur; de quibus fusius egit Golius ad haec vocabula. Alias sententias dant scholia Leidd. صبغ احمر وقيل هو البقم وقيل العصفر وهو صبغ الاعراب Sunt autem, praeter ea, alia adhuc

 no-

nomina, quibus *sanguis draconis* insignitur, ut ايدع, ارقاع, شيان, قاطر et مظ quae is itidem suis locis explicuit.

V. 43. Provocat poëta apud amasiam suam ad judicium aequalium suorum heroüm de suâ virtute bellicâ, petitque ut ea illos modo interroget. Sic solent poëtae Arabes, ex. gr:

سالي ان جهلت الناس عنا وعنهم ' وليس سواء عالم وجهول '

*Interroga, si ignara sis, homines de nobis, deque ipsis; —*
*Namque neutiquam gnarus ignarusque aequales.*

Conf. Samuel Ibn-Adia in Exc. Ham. p. 474. Eodem modo alius poëta in versu Meidânii cit. ab H. A. Schult. ad Meid. p. 24:

الم تسل الفوارس يوم غول ' بنضلة etc.

*Age! interroga equites, qui praelio Gaul interfuerunt, — de Nadhla*, etc.

V. 44. Uti poëta v. 21 ephippium equi sui tanquam stratum suum descripserat, simulque equi sui dotes laudaverat, ita et hic, celebrato itidem equo suo, vult ut amasia sua noscat, se continuo ejus equi ephippio in pugnâ insidere.

Laudat porro equum suum ut سابح. Hoc quidem translate et generatim *velocem in cursu* notat, sed amant praesertim poëtae Arabes illud nomen equis tribuere, ut eos celeritate suâ quasi pedibus *natantes* repraesentent. Sic سبوح adhibetur in Vitâ Tim. p. 184: 1, coll. notâ. Ita de equo suo praedicat Tarapha loco infra ad v. 72 adducendo; sic et Amr'alkeis v. 57 (cod. Zouz. 54 et ex ejus lectione):

مِسَحٍّ اذا ما السَّابِحَاتُ عَلَى الوَنَى ' أَثَرْنَ الغُبَارَ —

*Effuse (fluens quasi) currit, quum (aliorum, quamquam fere natantium, sive) velocium equorum pedes prae lassitudine pulverem suscitant* etc.

el

et in Carmine Borda v. 132:

يجر بحر خميس فوق سابحة، يرمي بموج —

*Trahens mare exercitus, super equis valide currentibus, jactans undas* etc.

Ad hunc enim locum notat Scholiastes MS. خيل سابحة اذا مدت يديها للحرب ماخوذ من السباحة وهي العوم في الماء et Zouzenius MS. ad Amr'alkeisi locum citatum: السابح من الخيل الذي يمد يديه في عدوه يشبه بالسابح في الماء Ex quibus locis et scholiis apparet, minus recte Hartmannum id nostro loco intellexisse, cum vertit *natantem in sudore suo.* Non tantum enim *natare* illo sensu, quem ex illis scholiis vidimus, dicitur de equis, sed et de camelo; ex. gr. apud Tarapham v. 36: عامت بضبعيها *natat brachiis suis;* ubi Zouz. hoc عام per nostrum سبح explicat.

V. 45. Fluctuant interpretes, monente Zouzenio, in sensu hujus versus constituendo. Pendet is, nisi fallar, a solo nomine مجرد bene intellecto, atque adeo quânam in re oppositio membrorum hic consistat. — Notiones illius nominis et verbi جرد in II specie, quas dat Golius, hic non conveniunt. Sunt quidem in illis notiones *exuendi, nudandi,* similesque a *detrahendo* ortae, etiam in ipso nomine nostro, coll. locis in Lex. meo et Diwân Hudeil. apud Schult. ad Har. VI. 261:

بض مجردها لفاء في عمم ۞

*Nitida nudis membris, compacta integro corpore.*

Uti etiam مجرد الاسم *nudus,* sive *solus, titulus,* apud Elmacinum p. 171; مجرد العنوان *sola libri inscriptio,* in Praef. Ibn-Challecâni, ed. Tydemanni p. 114; بمجرد وصولي *ad solum ad-*

 *ven-*

*ventum meum*, apud Bohaddinum in Vitâ Salad. p. 252. — Verum adest et alia, a Golio in hac specie II et hoc nomine omissa, denominativa quippe a جريدة *destrictum* et *decerptum ex integro exercitu agmen*, coll. Vitâ Timuri II. 312: 3, pec. ejusmodi *turma equitum*, apud Bohaddin. l. c. p. 59. Ab hoc nomine iterum (uti in II specie solet) denominata notio assumta est, in جرد, *Expeditum emisit* contra hostem ejusmodi *separatum agmen*, coll. Lex. meo, et Vitâ Tim. II. 272: 4. 688: 1. atque Excerpt. ex Ispahanensi p. 15 ibique Schult. et Bohaddin. p. 88. — Hanc notionem hic obtinere vix dubito, eamque perspexisse videtur Zouzenius, cum ei oppositum اوي bene explicet per etc. انضم الي قوم *aggregare se multitudini*, sive *copiis*.

Hinc oppositio utriusque hemistichii sola mihi videtur consistere in geminâ virtute equi praedicandâ, quâ non minus pugnam adit, separatim emissus, quam copiis additus; hoc sensu: *Nunc eum emitto separatim ad mutuam pugnam*, — *Nunc ille se copiis aggregat validis arcu et numerosis.* Pro حصن enim, quod legunt Codd. Leid. et Jonesius, quodque hic vertit *the multitudinous throng*, recte putem Zouzenium dare حصري, non quidem ut ي sit pronomen, sed ut pro حصريين ob regimen positum.

V. 46. Nihil est in hoc versu quod nos moretur. Citat illum Mobarred, in Câmel MS. p. m. 14, qui pro اغشي legit اغش. Laudavit etiam hunc v. cl. S. de Sacy, *Chrestom. Ar.* Tom. III p. 17, atque hunc v. cum nonnullis seqq. usque ad 50 inclusum ed. Schult. in Monum. Vet. Ar. p. 64; ubi tamen pro يَخْبُرَكَ quod recte explicat Zouzenius, perperam legitur يُخَبِّرْكَ uti et in Cod. Leid., et mox الوَغَا, pro quo Zouz., Mobarred et Jones melius الوغي

الوغي exhibent. — Porro quod dat Jones يخبرك من aperte vitium est.

Quantum autem aversentur heroës Arabes praedandi studium apparet etiam ex loco Abulolae in Schroed. Origg. p. 31:

ادني الفوارس من يغير لمغنم، فاجعل مغارك للمكارم مكرم

*Vilissimus equitum est qui fervidam expeditionem suscipit praedandi causâ; — Tu itaque fervido studio sectare nobiles virtutes, ita nobilis evades.*

Huc et facit versus Schanfari, recte a cl. de Sacy l. c. cum nostro comparatus:

وان مدت الايدي الى الزاد لم اكن، باعجلهم اذ اجشع القوم اعجل

quae vertit vir ille cl.:

*Mais quand il s'agit d'étendre la main pour partager les alimens, alors que le plus lâche est le plus diligent, je ne les devance plus en vitesse.*

Hinc etiam laus illa tribuitur notissimo Hatem Tayensi: *Cum captivos cepisset, eos dimittebat*; coll. Meidânio in Pocockii Spec. Hist. Ar. p. 343, et Schult. ad Meidân. p. 133.

V. 47. Cum versus hic nullâ illustratione indigeat, moneo tantum eum, praeterquam loco ad v. praeced. memorato, etiam a Schult. exhibitum esse in lib. de Defectibus L. H. p. 213 sq. et Origg. p. 411, ut et a cl. Muntinghio in Dissertt. Schult. et Schroed. p. 1186; in quorum primo loco Schult. minus recte ممعن dedit pro ممعن; id enim jungendum est cum مدجج in Genitivo, pendente a و pro ورب *saepe*; de quo ad v. seq. dicemus. — Hoc autem مدجج cum in 2 Codd. Leid. et in Apographo Scheidiano sit مدحج, dubium videri possit utrum ea sit va-

varians lectio an tantum omissio puncti diacritici; دحج enim, quod Gjeuharius non habet, in V est *Totus armatus*, *panopliâ indutus*, *fuit*, si saltem fides habenda Maruphidi in Lex. Ar. Pers. apud Golium; cum دجج in V idem notet, et dictio تدجج الفارس بشكته quam Giggejus vertit *Eques lanceâ se tegere visus est*, a Golio in notis MSS. ad Gigg. emendetur *Armis tectus fuit eques.* Hinc fere suspicer idem vitium omissi puncti diacritici, quod in Leidd., etiam in Maruphide locum habere. Nostrum autem مدجج, uti a Zouz., Ibn-H. et Ibn-Nah. explicatur التام السلاح et a Gjeuhario شاك في السلاح, ita hoc sensu adhibetur in Excerptis ex Ispahanensi p. 17.

V. 48. Pleraque, quae huc pertinent, jam indicavimus ad v. 42. — Hic autem absolvitur demum sententia, cujus initium aderat in ومدجج v. praecedente, in quâ particulâ و adverbium رب *saepe* elliptice latet, ut verbulo ad v. praec. dixi et bene observavit Zouzenius. Scribitur enim promiscue sive ورب plene, ut Har. IV: 40, sive, per ellipsin ejus vocis, tantum و, quae tunc tamen itidem regit Genitivum; cf. Gjerumia et Ibn-Huggia citt. in Lex. meo et cl. S. de Sacy *Gramm. Ar.* T. I p. 367 seq. Hac ellipsi et constructione etiam و pro *saepe* occurrit infra v. 51: ومشك سابغة هتكت فروجها; et Exc. Ham. p. 430: وفتو مجروا coll. not. et Ibn-Doreid v. 194: وفتية; Amr'alkeis in Moäll. v. 23: وبيضة ubi Ibn-Nah. الواو بمعنى رب اي رب امراة; tandemque Abulola in Sekt-essend MS. carm. 2: 72. وذي ظماء quod Tebrizius explicat ورب ذي ظماء

V. 49. Notionem *transfigendi* aliquem *hastâ*, quae hic in verbo شك obtinet, uti Zouzenius explicuit per الانتظام ita Firuzab. in Camuso شكه بالرمح انتظمه eodemque modo Tebrizius ad

ad h. l. ut et Gjeuharius شككته بالرمح اي خرقته وانتظمته, ad quod confirmandum locum nostrum adduxit; quem etiam alio consilio citarunt, licet apud nonnullos Antarae nomine omisso, Scholiastes ad Caäb ben-Zoheir v. 55, Ibn-Nahhâs ad Amr'alkeisi Moäll. v. 20 uti et Meidâni in Thesauro Prov. MSS. no. 2099 et Reiske ad Abulfed. Ann. IV: 424; ne dicam de Schultensii locis ad v. 47 jam indicatis. Alios duo Scholiastas, Tebrizium et Ibn-Nahhâs, ad hoc verbum nostrumque locum integrum dedit Lette l. c. p. 161. — In his autem quaedam lectionum varietas conspicitur, de quâ in notis criticis. — Haec igitur notio cum ab iis nullo alio exemplo confirmetur, addam simile ex Rakkad Ibn-Mondir, in Hamâsa, apud Schult. ad Exc. Ham. p. 484, شككنا بالرماح *Transfiximus lanceis;* et paullo diverso usu apud Bidpaï, ed. H. A. Schult. p. 12: يشك خشبة علي وتدين *findebat lignum duobus cuneis;* ubi tamen in Addendis melius يشق legitur.

Quid hic per ثيابه *vestes ejus* intelligendum sit, non convenit inter Scholiastas. Zouzenius explicat per جسمه وثيابه *corpus et vestes ejus;* referuntque Tebrizius et Ibn-Nahhâs ex Abou-Obeid, apud Lette l. c., alios intelligere *loricam*, alios *cor*, alios *corpus* ejus; consentiunt tamen illi ambo in eo quod per illud potius cum Ahmed Ibn-Jahja intelligant اهابه *apparatum ejus bellicum:* at vero differt Ibn-H., qui, citans versum modo jam adductum Amr'alkeisi, nostrum eodem modo explicat: ثيابه قلبه وقيل درعه والاول اجود بقول امري القيس

فسلي ثيابي من ثيابك تنسلي

quod vertit Lettius: „ *Exue vestem meam a veste tuâ, ut de-„ fluat.*" — Ceterum quod ad sensum alterius hemistichii, non videtur illud cum Reiskio l. c. vertendum: *Viro generoso nefas*

 *non*

*non est hastam tractare*; sed e geminâ illius, quam Zouzenius refert, explicatione posteriorem, quae et simplicior est, recte amplectitur Tebrizius, apud Lette, his verbis: اي لا يمتنع عن الطعان، *hoc est*, (*Vir enim nobilis*) *a confossione* (*lancearum*) *non est immunis*.

V. 50. Versus hic, quem praeter Schult. ll. ll. etiam citat Schroed. in Addit. ad Meid. Schult. p. 310, vertendus videtur: *Mox eum reddidi* (vel *projectum reliqui*) *escam ferarum*, *quem sibi sumerent*, — *pulchrasque digitorum pulpas extremas pulchrumque carpum anterioribus vorarent dentibus*. In geminâ enim glossâ marginali recte monetur verbum ترك *relinquere*, hic esse accipiendum eo sensu quem Grammatici مفعول dicunt, ejusque exemplum adducitur dictum Mohammedis de Deo وتركهم في ظلمات لا يبصرون quod invenitur in Corano 2: 16, atque hoc sensu verbum hoc etiam adfuit supra v. 41, ubi idem in Glossâ observatur; unde et hic in Glossis citatis per طرح وخلي *projicere et missum facere*, et a Zouzenio per صير *reddere*, *efficere* explicatur. — Praeter locum autem Corani et versum modo citatos, sic etiam adhibetur ab Haririo cons. xxix MS:

وتركته صرعي كانهم، سقوا كاس الحتوف ۞

vertente Schultensio ad Harir. 2: 65:

*Et liqui eos stratos*, *ac si poculum necis essent potionati*.

Et sic quoque Amrou in Moäll. MS. v. 27, ubi تركنا a Zouzenio recte per قتلنا exponitur. Alia exempla nobis infra ad locum mox citandum occurrent. Conferatur etiam versus Motenabbii MS. supra ad v. 36 adductus. — In ipsâ autem locutione nostrâ, quae etiam infra v. 75 occurrit, uti Golius haud satis pro utroque loco exhibet, explicans تركه جزرا *occidit eum*, ita Jonesius dat

nimium, cum vertat *reliqui eum ut victimam.* جَزَرٌ enim (non جُزُرٌ ut Jonesius legit), quod hic transfertur ad feras, proprie secundum Zouz. est *ovis mactando destinatus*, et *edulium hominum.* Ita et explicat Tebrizius apud Schroed. in Additam. ad Meidân. Schult. l. c. الجزر جمع جزرة والجزرة الشاة والناقة تذبح وتنحر conf. et alia loca ibidem adducta.

Verbum قضم hic de industriâ adhibetur propter sequentia, non quidem pro *vorare* generatim, sed *comedere dentibus anterioribus*; hoc sensu enim opponi solet verbo خضم *toto ore comedere*, etsi utrumque nonnunquam promiscue usurpatur, uti fuse docet Scholiastes ad Har. cons. IX, exhibitus a Schult. ad Exc. ex Ispah. p. 11 et a cl. S. de Sacy, in *Chrestom. Ar.* T. III p. 235.

Hic autem gemina datur lectio a nostrâ multum diversa: altera, Tebrizii et Jonesii, qui pro يقضمن حسن بنانه exhibent ما بين قلة راسه licet prior vulgarem lectionem in scholio etiam memoret; altera, Ibn-Nahhâsi, Ibn-Heischâmi et Schultensii يقضمن قلة راسه Sed, uti ex priore admodum insulsa oritur locutio *leonum, qui inter ejus verticem ejusque ungues sibi festivum epulum parabant*, ita ex alterâ lectione parum convenit oppositio *vorantibus verticem capitis ejus, aut carpum manus.* — Praetulerim igitur omnino lectionem Zouzenii, cum sic more suo ludat poëta in vorando *dentibus anterioribus* sive *extremis*, *extremitates* pulchras *digitorum* et *carpum* pulchrum heroïs illis in escam projecti.

De بنان *extremis digitorum pulpis*, et de locutione *eas mordendi*, quamquam alio sensu, conferri praeter alia possunt loca in Lex. meo. Eas autem succo ex Hinnâ حناء (non Henna ut vulgo pronunciatur) similibusque plantis tingere solebant olim so-

Hh 2 lent-

lentque etiamnum pulchritudinis causâ mulieres, uti notissimum: unde vetus monitum لا تتزوج سلتاء ولا مرهاء *ne uxorem ducas tincturae digitorum negligentem et collyrii oculorum*; et مخضوبة البنان *tincta extremitatibus digitorum*, pro *muliere* ipsâ dicitur in Hamâsa, coll. Schult. ad Har. IV: 12. Tingebant etiam manus earumque tam volas quam, ut hic, معصم *carpos*. Ita apud Tarapham v. 1: كباقي الوشم في ظاهر اليد *Sicut reliquiae glasti in superficie manus*; et Zoheir in Moäll. v. 2 fere eodem modo:

كأنها مراجيع وشم في نواشر معصم

*Ut striae picturae nigricantis in venis carpi.*

Nec tantum hoc faciebant mulieres, sed et viri delicatiores et principes, uti testatur etiam Wansleb in Descript. Aeg. excerptâ in Itinerum Orient. collectione, a cl. Paulus Germanice editâ, Tom. III p. 159. Immo et huc alludit ipse poëta noster infra v. 54, ubi nonnulla de hoc more viris etiam usitato addenda erunt.

V. 51. Citationes hujus versus apud Schultensium, ad Exc. ex Ispah. p. 17 et sq. et Lette, ad Caäb ben-Zoh. p. 162, tanto majori usui sunt, quia, uti ad versum praecedentem factum erat, ita ad hunc scholia alia quam Zouzenii addita sunt, et quidem ad ea vocabula de quibus hic tacet. Praeterquam enim de و cum Genit. pro وربّ *saepius*, de quo ad v. 48 diximus, quodque etiam hic observant Ibn-Nah. et Tebrizius; non loquitur hic Zouz. de primâ voce مشكل (aut مشكل, cum primâ Kesre, ut habent Schult. et Lette), rariori illâ, neque apud Golium, Giggejum, Castellum, aut ipsum Gjeuharium et Firuzabadium obviâ. — Illi autem Scholiastae tres ejus explicationes exhibent, vel

الدرع

الدرع التي قد شك بعضها الي بعض *loricam inter se partibus bene consertis*; vel مسامير التي تكون في حلق الدروع *clavos quibus annuli loricarum conseruntur*; vel الرجل الشاكي *virum cataphractarium*, quâ in re verbotenus cum illis consentiunt Ibn-H., Tebrizius et Ibn-Nahhâs. — Schult. et Lette, quamquam nihil decidentes, primam exprimunt, vertentes مشك سابغة *loricam profusissimam*; quae tamen notio hic admitti nequit, cum non مَشَكٍّ سَابِغَةٍ sed vero مَشَكِّ سَابِغَةٍ legatur, adeoque prius nomen in regimine notare debeat aliquid quod ad سابغة *loricam* pertineat. — Videtur igitur secunda explicatio, de *clavis, quibus annuli loricarum conseruntur*, sola hic obtinere posse. Nec dubium movet, ut censet Schult., سابغة (non سابعة ut apud Lette) pp. esse adjectivum, *profusa*, *ampla* res, uti quidem significat in Vitâ Timuri Tom. I p. 608: 1 et Tom. II. 592: 5 etc.; uti et سوابغ النعم *amplissima dona*, in Vitâ Ibn-Chal., in Specimine Tydemanni p. 106; et apud Ibn-Hadith p. 252. Est enim etiam pec. in fem. usu subst. *Lorica ampla ac longa.* Hoc non tantum affirmat Golius et ipse Gjeuhari, explicans illud per الدرع الواسعة, ut et Scholiastes apud Schult., verum etiam confirmant plurima loca, ex. gr. de *loricis a Davide faciendis*, Cor. 34: 10; conf. et Excerpta Hamâsae p. 478; Vita Tim. II. 38: 6; Poëta in Diwân Hudeil. ab ipso Schult. citatus; et in primis Abulola in Sekt-essend carm. 1: 73:

توهم كل سابغة غديرا ؛ فرنق يشرب الحلق الدخالا

*Putat quamcunque loricam esse lacum, quem obit (hasta) ut bibat annulos invicem consertos:*

ubi Tebrizius in scholiis MSS. السابغة الدرع explicat. Idem

 autem

autem quod ibi Abulola, sub imagine bibendi ex annulis consertis loricae, tanquam ex lacu, hastae tribuit, idem putem et a nostro proprie expressum esse, hoc modo: *Saepius etiam, in ipso quo conserta est lorica loco, ejus juncturas perfregi gladio;* ut ostendere voluerit poëta, quam accurate in eo solo loco potuerit transfigere loricam. Eâ enim dexteritate gaudebant Arabes. Sic Omar Ibn-Gjormous: طعنه في جريان درعه فقتله Zobeirum *transfixit per loricae fissuram occiditque*, apud Abulphar. in Hist. Dynast. p. 187. Atque hac dexteritate gloriantur, uti in Excerptis ex Ispah. p. 24:

لكل سابري من اسنتنا مسبار

*Per omnem loricam spicula nostra ut specilla vulneraria se penetrant.*

Ad hoc exprimendum adhibet noster verbum هتك *dilaceravit, rupit;* quod jam accusativum suum habet in فروجها *juncturas ejus*, et hic tamen etiam construitur cum عن. Hoc igitur aliquam difficultatem parit, quia ex constructione illâ vix cum Zouzenio verti potest: *avulsi eam* (loricam) *ab* heroë; nam tunc deberet esse *eas* (juncturas), quod nihil dicit; multo minus verisimile est, aut cum eo pronomine convenit, quod dat Jonesius *juncturas loricae perfractas gestavi, ab heroë celebri destinatas ad se tuendum.* — Itaque vel per ellipsin supplendum videtur *eamque* (loricam) *avulsi ab* etc. vel potius usui potest esse ipse textus Gjeuharii, qui hujus verbi nomen Act. cum عن constructum sic explicat: الهتك خرق الستر عما وراءه quod Golius ad ipsum Verbum, ut solet, referens bene vertit: *Dilaceravit, rupit*, operimentum, velum, *ut apparuerint quae retro essent.* — Possit igitur illud nostro loco verti: *perfregi juncturas ejus, — ita ut nudus appareret defensor* etc. — Ab ulteriore quidem explicatione abstinere malim, quia mihi videtur poëta ex ambiguo allude-

dere ad alium usum, minus verecundum, qui tam in هتك quam in فروج locum habet.

De postremi vocabuli lectione dissensus est inter ipsos Arabes, cum alii legant مُعْلَمٍ, alii مُعْلِمٍ ut Ibn-Heischâm et Jonesius, alii مُعَلَّمٍ, alii denique مُعَلِّمٍ. Duas priores lectiones explicuit Zouzenius, qui tamen ipse videtur incertus fuisse, cum in textu, addito, pro more, vocabulo معا, non tantum duas illas, ut saepe fit, sed, quod huc usque nusquam me videre memini, quatuor illas lectiones junxerit, sed tam artificiose, ut illud typis quidem imitari non liceat. — Si quae lectio seligenda, praetulerim مُعْلِمٍ *Qui se strenuitatis signo exornat in bello:* quo sensu forte occurrit in versu, quem ex Wahidaeo ad Motenabbium exhibet Reiske, ad Tar. p. 127 mediâ. In hac autem re dubiâ forte verti possit *conspicuus*, cum hoc vocabulum omnibus quatuor lectionibus fere conveniat.

V. 52. Dubitat Reiskius, hunc locum citans in not. ad Tar. p. 98, utrum بالقداح, in priore hemistichio, vertendum sit *ad terebrandos fomites*, an potius *ad versandas sagittas aleatorias*; adeoque utrum sit nomen sing. قداح *Igniarium*, an قداح collect. *sagittae sine alis et cuspide, quibus sortem jaciunt aleamve exercent.* Posterius recte Ibn-H. et Ibn-Nah. explicant: القداح السهام واحدها قدح uti et hoc assumsit Zouzenius, cum Arabes ludo illo, ميسر dicto, jam antiquitus tempus inter suos hyeme terere solerent; quod ludi et sortilegii, a Mohammede deinceps vetiti, genus satis illustrant loca in Lex. meo ad قدح et ميسر

ad-

adducta, uti et Pocockius, ibidem laudatus; quibus addi merentur Scholiastes ad Har. III: 127 et Herbelotius p. 42. — Nomina autem decem illarum sagittarum ludi aleatorii, quarum tres irritae habentur, quippe nullius sortis indices, recenset Golius in فذ, quod nomen primae sagittae est, et in cujus et secundae nominibus Zouzenius in fine scholii ad v. 56 ex ambiguo ludit. Tres minus prosperas jungit poëta apud Zamachsh. in not. Mang. ad Vit. Tim. II. 683, ubi p. 682: 11 in وعد, *promissio cujusdam boni futuri*, alluditur ad nomen decimae irritae, الوغد dictae. Illas vero sortilegii sagittas, sacculo inclusas ad extrahendum, fuisse undecim, earumque septem felices, quatuor vero damnosas, affirmat Schult. ad Meidân. p. 16, ex Pocockii l. c. — Quod igitur hic laudi ducit noster heroï a se occiso, eum fuisse *agilem manibus in versandis hyberno tempore sagittis aleatoriis*, id etiam de se praedicat poëta in Hamâsa apud Schult. ad Har. VI: 214:

الفيتني هش اليدين، بمري قدحي أو شجري ۞

*Reperias me agilem manuum, — Quum versito sagittam meam et aleam.*

In alterius hemistichii translatione Reiskianâ vix apparet quid voluerit poëta per *lacerantem insignia* (hederas) *oenopolarum, prodigum.* Magis perspicue prius explicuit Zouzenius, esse ac si ille heros omne, quod oenopolae haberent, vinum emisset, ita ut ob vini defectum etiam insignia sua potuerint tollere; et posteriorem heroïs laudem ita exposuit, ut ille identidem accusaretur de excessu liberalitatis et prodigalitate in munificentiâ suâ. — Rem ipsam optime explicat locus Labîdi in Moäll. MS. v. 58, a Reiskio minus recte l. c. intellectus:

قد بتّ سامرها وغاية تاجرٍ، وافيت إن رفعت وعزّ مدامها،

(Quot noctes) *transegerim confabulando, atque insigne adierim*

*rim oenopolarum, cum illud erigeretur, eximiumque et magni pretii esset eorum vinum.*

Non enim dicitur *et oenopolae signum jamjam tollendum retardaverim*, uti ille vertit, cum Zouz. وافيت bene exponat وافيت المكان اتيته — Qualenam autem prisco illo aevo fuerit vexillum sive insigne oenopolarum, quo cognoscebatur eorum mansio, quodque Reiske *hederas* dicit, difficulter quidem nunc temporis determinari potest; nisi forte ex scholio Zouzenii ad Labîdi l. c. الغاية ولاية ينصبها الخمار ليعرف مكانه، si sc. ولاية ibi, uti putem, *urna* est sive *situla.*

V. 53. Rarior neque inelegans hic adest usus verbi اراد quo *velle aliquem* adhibetur pro *hostilem impetum in eum moliri;* nam nimis languet quod dat Zouzenius اريد قتله. Eadem fere vis est in Belgicâ et Gallicâ locutione *Ecce te volo*, quâ hi interpretes vertunt Hebr. הנני עליך Ezech. 5: 8. 26: 3, pro quâ eodem sensu dicitur הנני אליך Jer. 50: 31. Ezech. 13: 8, 20. 21: 3. 30: 22. 34: 10, quasque promiscue dat translatio Alexandrina ἰδοὺ ἐγὼ ἐπὶ σέ.

Cum priore autem hemistichio convenit fere locus in Schult. Monum. vetust. Ar. p. 68:

اذا ما عدو احل ارضنا يريدنا، برزنا جميعا بالمثقفة السمر،

*Quoties hostis descendisset in terram nostram, impetens nos, — Processimus cuncti rigidis fuscisque in hastis.*

Ita hic: *Vix viderat me de equo descendere, eum impugnaturum, — Quin territus molares nudaret dentes, at sane minime subridens.*

Posterius hemistichium, a se citatum, abunde illustravit Schult. ad Exc. Ham. p. 307 sq. coll. ibidem Scholiaste ad versum 8

 pag.

pag. 306, qui versus etiam citatur in Vitâ Tim. 580: 1. — Locutio autem, quâ Zouzenius hoc explicat قلصت شفتاه عن اسنانه a poëtâ nostro etiam adhibetur infra v. 62. — Addam tamen ad nostram confirmandam nonnulla exempla, parum licet diversa. Sic تهللت نواجذ افواه المنايا الضواحك *renidescunt molares oris Mortium ridentium*, quando concutit heros gladium in osse adversarii, Exc. Ham. p. 400; paullo alio flexu: prae indignatione كشر انيابه *strinxit dentes suos caninos*, in Vitâ Timuri Tom. II. 2: 11; et fere similiter ib. 682: 12; ita et altera locutio, quâ itidem Zouzenius nostram explicat, كشر عن اسنانه *denudavit dentes suos*, nonnunquam adhibetur, quamquam itidem figurato sensu, كشروا عن انياب الحرب in Bohaddini Vitâ Saladini p. 254.

Actum hunc illius heroïs, *nudandi prae terrore dentes suos*, auget poëta, cum sarcastice addit: *minime subridens.* Verbum enim بسم pro diverso contextu, contrario sensu adhibetur, sive de puellâ, quando pulchre ac suaviter *subridet*, *leviter diducto ore, ita ut dentes anteriores appareant;* sive etiam ut signum hilaritatis, laetitiae et contenti animi. — Ita priore usu apud Harir. Cons. II p. 82:

نفسي الفدا لثغر راق مبسمه،

*Anima méa piaculum esto pro oro suavissime renidente.*

Et ibid. p. 78:

كانما يبسم عن لولو، منتضد او برد او اقاح،

*Ac si renideret a dentibus tanquam margaritis consertis, aut grandine, aut anthemide.*

Sic et amasiam suam describit Caäb ben-Zoheir v. 3:

تجلو عوارض ذي ظلم اذا ابتسمت،

Quae

*Quae restrictos denudat dentes oris nitidissimi, quum subridet.*

Altero vero usu occurrit in Vitâ Ibn-Chal., in Spec. Tydemanni, p. 88:

قد كنت تلقاني بوجه باسم، واليوم تلقاني بوجه مقطب،

*Olim mihi obviam ibas facie subridente, — Nunc vero mihi occurris vultu severo.*

Ita et adhibetur de iis qui vultu suo simulant amicitiam et fidem, apud Motenabbi MS. Carm. 265, etiam cit. a Van der Sloot ad Tograi p. 164:

وكن علي حذر للناس تستره، ولا يغرك منهم ثغر مبتسم،

*Cave tibi ab hominibus, sic tamen ut occultes id, — Nec decipiat te eorum os leviter subridens.*

Immo uterque risus sibi figurate opponitur, in Adagiis Golii p. 151:

اذا رايت نيوب الليث بارزة، فلا تظنن ان الليث مبتسم،

*Si quando videris prodeuntes leonis dentes, putare noli leonem subridere.*

V. 54. Dubium quidem videri possit an عهدي به مد النهار cum Jonesio vertendum sit *pugna mea cum eo durabat per totum diem*; Zouzenius enim tum عهد explicat per لقاء vocabulum ambiguum, quod et generatim *occursum* et speciatim *conflictum* notat: tum مد النهار exponit طول النهار وامتداده. Et tamen dubito, partim quia عهد notione *conflictus* mihi incognitum est; partim quia pugna per totum diem cum hoc heroë contrariatur unico ictui supra memorato; partim etiam quia contextus membri sequentis illam explicationem haud fert; unde se expedire conatus Jonesius, sequens كانما *ac si*, contra usum vocis, vertit *usque dum*. — Putem igitur hic non de pugnâ ipsâ, sed, ut Zouzenius recte dicit, de eo quod post necem hujus heroïs de-

 pre-

prehenderit poëta, sermonem esse, et ذهبي بِه explicandum ex glossâ Golianâ ذهبي بِه ولم يكن كذا *Vidi illud, at non ita se habuit;* tandemque من recte a Golio exponi *Altitudo et elatio* dici. Sic et Ibn-H., Tebr. et Ibn-Nah. من النهار explicant per ارتفاعه, licet duo hi posteriores alias etiam expositiones proferant. Rarior quidem hic usus est, exstat tamen etiam in Elmacini Hist. Sarac. p. 93: وكان ايام المن *cum esset summo mane.* Unde hic vertendum: (Post pugnam) *autem vidi eum summo die* (ita sanguine conspersum) — *ut extremi ejus digiti caputque cruore, tanquam infectivâ herbâ, essent tincta.*

Posterius hoc hemistichium satis perspicuum est ex dictis ad v. 50 de more tingendi digitorum extremitates aliasque corporis partes, uti hic etiam caput, tam viris quam praesertim feminis usitato. Addam tamen ibidem observatis nonnulla exempla eum etiam apud viros obtinuisse: sic Abou-Becr Chalipha يخضب بالحنا والكتم *tingebat se Hinnâ et catamo,* narrante Elmacino p. 18; etiam Moäwia, ibid. p. 48; Hesschâm Ibn-Abd' almelek, ib. p. 81; Mansur, ib. p. 104; et Motaded, p. 179. Ita et viros succo Hinnae tinctos memorat Motenabbi MS. carm. 219 v. 38, etiam apud cl. de Sacy, *Chrestom. Ar.* Tom. I p. 337:

ومن في كفه منهم قناة، لمن في كفه منهم خضاب،

*Tam illi in quorum manibus erant lanceae, quam illi quorum manus Hinnâ erant tinctae.*

Planta autem illa *Hinna*, quibus hi se tingebant, Plinio et Dioscoridi *cyprus*, est Linnaeo *Lawsonia* inermis; conf. et Forskäl, Flora AEgypt. - Arab. Parte I p. CX, et Russel, *Naturgeschichte von Aleppo, mit Anm. von Gmelin,* Parte I p. 134. Loca ubi crescit exhibent et eam ejusque in tingendo usum descri-

scribunt Capmartin, in Bertuch's *Allgem. Geogr. Ephemeriden*, Jul. 1814 p. 247; Casiri, Biblioth. Escur. Tom. I p. 209; et Prosper Alpinus, de Plantis AEgypti, Tom. II p. 22 et sqq, qui eam *Ligustrum* Aegyptium censet et icone illustrat. — عظلم vero, quod noster hic in comparationem adducit, a Golio in Lex. exponitur *Isatis*, *glastum. ejusque expressus succus*, vulgo *Indicum*; et in Append. p. 2872 *Succus herbae anil.* vel *glastum: aut herba alia tinctoria;* ita aeque dubitanter redditur ab eo وسمة *Folia glasti*, seu potius *annil; eorumve spissatus succus: vulgo Indicus* sive *Indigo* dictus: *quo tingitur lana et inficitur cutis.* Nec nisi generatim explicatur a Zouz. نبت يختضب به et ab Ibn-H. et Ibn-Nah., ضبغ احمر. — Cum tamen *Glastum* aut *Isatis* huic comparationi non conveniant, nec, quantum novi, extremis digitis tingendis sed aliis membris iis punctandis apud Arabas inserviant, accederem Tebrizio, qui dat العظلم الوسمة, et quocum consentit is qui significationem nominum Latinam margini alterius codicis mei اختيارات بديعي MS. Persici, auctore Zein-al Attâr, adscripsit, scilicet *arbor Indici*, *cujus folia sunt Wesmé.* — Uti autem noster, ita etiam Ibn-Doreid v. 47 illud *tingere* ad cruorem transfert, quando de camelis suis dicit:

اخفافهن من حفي ومن وجي مرثومة تختضب مبيض الحصي

*Earum ungulae, prae attritu et conscissione, adeo perforatae sunt, ut cruore tingant candicantes glareae lapillos.*

Sic etiam دماء *cruor* comparatur cum عصارة حناء *succo expresso Hinnae*, in Amr'alk. Moäll. v. 63.

V. 55. Si hic versus ordine postponendus est praecedenti, ut in Cod. Zouzenii, non vero in aliis fit, omnino particula ف hic causam reddit memorati modo cruoris, et praeterita hic in

 plus-

plusquam perfecto vertenda sunt, quia ea continent quae ipsam pugnam praecedentem spectant. — Cum porro hic مهند (pp. Particip. pass. in II) *gladius Indicus* memoretur, quem Orientales, quippe acie praestantem, omnibus aliis praeferunt; cumque tam hoc nomen quam notio denominativa in II specie هند, a nomine هند, *Hind*, *Indiâ*, desumta, apud Golium desiderentur, fusius tum de hac notione tum de *gladio Indico* egi in Lexico meo. Sufficiunt igitur explicationes Ibn-Nahhâsi ad Caäb ben-Zoheir v. 51: (uti legendum) مهند يقال سيف مهند وهند واذي منسوب الي الهند وسيوف الهند افضل السيوف، et ad Taraphae Moäll. v. 81: والمهند المنسوب الي الهند — Unum tantum locum addo e versu Helal Ibn-Razin, quem exhibuit Lettius in Notis ineditis ad Caäb ben-Zoheir l. c.

فولت ذنبها قطقطها سراعا، ذكبهم المهندة الذكور ۞

*Tergumque dedere sub ejus grandine celeriter; — contundentibus eos gladiis Indicis bene masculis.*

V. 56. Quamquam hic versus a Mobarred, in Câmel MS. p. m. 40, absque auctoris nomine citatur, conveniunt tamen omnes Codd. in eo Antarae tribuendo, uti et van Herwerden, in Schult. Thes. dissertt. p. 701, et Reiske, in Addendis ad Tar., illum ejus nomine exhibent. — Dissensus est inter Arabas de vocabulo primo بطل in Genitivo posito; in Glossâ enim marginali codicis mei quatuor sententiae de illo exhibentur: vel illum Genitivum pendere ab He in عهدي به (v. 54); vel a ومشك سابغة (v. 51); vel legendum esse بطل in Nominativo, بالرفع, ut sensus sit هو بطل; vel potius recte se habere, quod in textu est, بطل; huncque Genitivum referendum esse ad حامي الحقيقة (v. 51). — Et postremae quidem huic sententiae quid obstet

non

non video, cum hucusque continuata sit hujus heroïs descriptio, eo consilio data ut poëta, ejus fortitudinem laudando, suam ipsius virtutem bellicam simul celebraret. — Hanc vero longe a se invicem remotam membrorum orationis connexionem cum lingua Latina non ferat absque ut perspicuitas tollatur, potius aliqua circumlocutione utendum: *heros erat*, *qui* etc.

Sensus, qui propter imagines minus solitas non statim in oculos incurrit, bene a Zouz. illustratus est; hic nempe describi heroëm a staturae proceritate et membrorum magnitudine, uti et a summâ curâ quam olim mater ei impenderat cum solus esset ejus filius. — Prius quippe indicatur per descriptionem *vestium* vel *loricae* ejus, quibus indutus referebat proceritate suâ arborem magnam, cum simul *calcei* sive *corrigiae* ejus, concinnatae more ditiorum *ex corio vitulino, cum succo foliorum spinae Aegyptiacae parato*, ad tam proceram staturam ejus essent accommodatae. Cum priore in hac imagine conferri aliquo modo potest versus adductus a Reiskio, in Prol. ad Tar. p. XLVII, e Meidânio MS. no. 2445:

كان السلاح فوق شعبة بانة ترى نفحها ورد الاسرة اصحما

*Arma gestat quasi super ramo myrobalani*, *fragrantis*, *rubrae intestinis venis*, *furvae* cortice.

Posterius autem indicatur per enunciatum: quod *solus filius*, *non gemellus* esset; cui igitur uni omnis atque indivisa cura materna fuerat dicata; nam vocabula haec ليس بتوام non ad *calceos* referenda sunt, cum van Herwerden l. c. *incomparabiles*, sed ad heroëm ipsum.

سبت porro sunt *coria bovina concinnata*: pec. *cum spinâ Aegyptiâ*; unde et سبتية *calceus ex illis coriis* dicitur. Ita in Diwân Hudeilitarum MS.:

تامل السبت الذي احذوكم فانظر فمثل امامه فاحذوني

*Con-*

*Considera illud corium, quod ego vobis seco, — Ac intuere; et secundum ejus exemplar mihi secate.*

Sic et explicat hoc vocabulum Ibn-Nahh. ad Taraphae Moäll. v. 30: السبت جلود النعال المدبوغة, quibuscum convenit Wahidaeus ad Motenabbium, apud Reiske ad Tar. p. 79, addens tamen بالقرظ *foliis spinae Aegyptiacae*; et Zouzenius in Schol. MSS. ad locum Taraphae: السبت جلود البقر المدبوغة بالقرظ Illud autem vocabulum non pronunciandum est سبت *Sabt*, uti fecit Reiske l. c. p. 78, quia Gjeuhari, gemino etiam exemplo adducto, aperte dicit والسبت بالكسر جلود البقر المدبوغة بالقرظ يحذي منها النعال السبتية وفي الحديث يا صاحب السبتين اخلع سبتيك وخرج الحجاج يتوذف في سبتين له، Quam traditionem relatam esse ab ابن السكيت additur in Glossâ marginali codicis mei. — Tales autem *corrigias* vel *calceos*, *ex illo corio vitulino Jemanico* factos, ditiorum gestamen fuisse, uti ceteri Arabes camelinis pellibus pedes amiciebant, observat Reiske l. c. occasione versus Taraphae 30, ubi labium cameli suae describit كسبت اليماني قده لم يجرد *ut corium Jemanicum, cujus corrigia rugas non contrahit.* Consentit etiam Tebr. qui ad nostrum locum addit: ويقال السبت المدبوغة بالقرض (leg. بالقرظ) كانت الملوك تلبسها atque ita fere etiam Ibn-Nah. ex Asmaïo.

Cum autem vocabulum سرحة *arbor magna et procera*, e Golii Lex. exsulet, addam locum Gjeuharii السرح شجر عظام طوال الواحدة سرحة ad quod confirmandum etiam Homeidi versum affert. — Nonnihil tamen differt Tebrizius (in alio cod.) apud van Herwerden l. c.: السرح من الغضاة يكون دوحة يحل الناس تحتها في الصيف *ex genere arborum spinosarum est* דוחה,

si:

sive *arbor opaca, sub quam declinant homines calore solis.* Harir. Cons. XXVII: وعجت الي سرحة كثيفة الاغصان، وريقة الافنان، لاغور تحتها الي المغيربين، *Descendi ad arborem* (סרחה) *opacam ramis et frondosam comâ, ut sub eâ meridianam quietem caperem usque ad primum solis occasum.* Unde et Ibn-Nahhâs, Ibn-H. et Tebrizius ad locum nostrum: المعني كان ثيابه علي سرحة من طول والعرب تمدح بالطول وتذم بالقصر *Sensus est, quod vestes ejus essent instar arboris diffusae prae longitudine; Arabes enim gloriantur longitudine vestium et brevitatem vituperant.* — In eo autem Har. loco monere hic liceat, perperam a van Herw. editum esse المغيربين, ubi uterque Cod. meus melius المغيربان, cum id non sit Duale, sed Sing. مُغَيْرِبَان quasi Diminutivus a مَغْرِبَان uti recte monet Golius et fusius Gjeuhari. — Addam tandem et aliud exemplum pro nostro vocabulo ex Gjeuh. in فيا, etiam in ed. Scheidii p. 164:

فلا الظل من بعد الضحي تستطيعه ولا الفيء من برد العشي تذوق،

*Neque umbrâ, altius jam scandente die, potitur, neque pomeridianam, propter frigus vesperae, degustat umbram.*

Tandem de lusu ex ambiguo in fine scholii inter duas notiones vocum فن et توام diximus jam verbulo ad v. 52.

V. 57. Particula ما in يا شاة ما قنص hic paululum impedivisse videtur Jonesium, cum vertat: *O amabilis dorcas! quam pretiosa praeda!* sed vetat hoc constructio; quando enim ea Admirationis particula est, construitur cum gemino Accusativo, coll. Lex. meo pluribusque locis. Potius monet Zouzenius eam hic esse زائدة sive redundare. Sic quidem vulgo dicitur, cum tamen tunc emphasin eandem habeat quam saepe Graecorum τί, vix aliâ lin-

linguâ exprimendam. Quia vero hic usus rarior est et facile molestiam creat, addam exemplum ex Ibn-Doreid v. 143: عن غير ما وهن *aliâ utique de causâ quam debilitatis.*

Comparatio mulieris pulchrae cum *vaccâ sylvestri* aut *caprâ* nimis nota est quam ut eam exemplis confirmem. Similia nomina puellis dant Gr. et Lat. cf. ex. gr. Koehler Obss. p. 43 sq. Eandem etiam adhibet noster mox v. 59, et quidem ita ut in utroque loco comparationem continuet verbis ex arte venandi et jaculandi desumtis: sic hic loci قنص non tantum generatim *praeda* est, sed *praeda venatu capta.* Utrumque illud etiam obtinet apud Abulolam in Sekt-essend MS. carm. 1: 35, et apud Gol. post Erp. Gramm. p. 236:

اردنا ان نصيد به مهاة فقطعت الحبائل والحبالا

*Voluimus venari in eâ (nocte) buculam ferarum, sed ipsa rupit retia et funes.*

Quare autem haec formosa puella illi interdicta sit, dissensus est, a Zouzenio memoratus: cum alii putent id esse quia poëtae pater eam matrimonio sibi jungere volebat, adeoque poëtam optare ut id locum non habeat ipseque eam uxorem ducere possit; alii vero causam interdicti quaerant in bello inter utriusque tribum, quod efficeret ut pacem optaret, quâ datâ eam sibi uxorem posset jungere. Hic vero dissensus nobis quidem parvi momenti est et parum ad intellectum versus facit. Plura de eo dant Scholiastae Leidenses.

V. 60. Poëta non tantum v. praeced. comparationem mulieris cum vaccâ sylvestri aut caprâ continuaverat, uti ad v. 57 monuimus, verum et eam nunc amplificat comparatione cum similibus animalibus, a dotibus suis egregiis saepius apud Arabum poëtas laudatis. Sic hic primo cum جداية, quae Zouzenio dicitur *pullus dorcadis,* Golio vero i. q. غزال (de quo mox) *Dorcas;* uti

et dat Gjeuh., qui tamen addit: قال الاصمعي هو بمنزلة العناق من الغنم versumque Gjirrân aläudi ad illud adducit. Tebr. vero addit: وهو التي اتت عليها خمسة اشهر او ستة — Alterum est رشاء Tebrizio, Ibn-H. et Ibn-Nah. tantum dicitur الصغير من الطبا (leg. الظبا); Zouzenio *pullus dorcadis validus*; Golio vero *Pullus dorcadis*, *qui jam gradiri potest*, uti راشح; ita et fere Gjeuhario ولد الظبية الذي قد تحرك ومشي — Tertium est غزال a Forskälio, in Fauna Orientali p. IV, *Capra Gazella* dictum; quod animalis nomen Golius, loco modo ad جداية citato, verterat *Dorcas*; in ipsâ vero voce, *Hinnulus*, scil. *pullus dorcadis*: pec. *jam incessui aptus*; *capreolus*. Cum posteriore hac explicatione consentiunt fere Scholiastae, ex. gr. Tebrizius ad Abulolae Sekt-essend MS. carm. I: 28 الغزال ولد الظبية iisdemque verbis Scholiastes ad Tograi v. 29, et paullo amplius Gjeuhari: الغزال الشادن حين يتحرك; quod tanto magis valet, quia non solum Ibn-Nahhâs ad Taraphae v. 6 vocem شادن explicat: شادن ظبي ليس بالكبير verum et Zouzenius MS. ibidem: الشادن الغزال الذي قوي واستغنى عن امه — Ceterum omnia haec animalia aliaque non tantum in comparationem cum feminis vario nomine adducuntur; sic puellae tenerae كالغزلان بالجرد *instar gazellarum habitantium in deserto*, in Carmine Nâbegae v. 34, ubi Zouzenius in schol. MS. causam comparationis dat كالغزلان في حسن اعينها واجيادها; verum et ipsa animalium illorum nomina figurate pro feminis ipsis collocantur: ex. gr. شادن supra memoratum, apud Taraapham l. c.: شَادِنٌ مُظَاهِرُ سِمْطَيْ لُؤْلُؤٍ وَزَبَرْجَدِ *Hinnulus duobus margaritis et smaragdi filis insignis*. Plura exempla ob magnam

copiam omitto. Nonnulla etiam alio consilio collegit Lette in notis ad Caäb ben-Zoheir p. 98 sqq. — Unum tantum de simili nomine addo, quia vitiose apud eum p. 99 impressum est, ex Diwân Tahmân (طهمان) Ibn-Amrou Kelabitae cum scholiis Abou-Saïdi'l Hasan Ibn-Hosein Succariensis, MS. carm. 2 v. 10:

رُبَّما اَغَنّ يصبي حسن دلاله، قلب الحكيم ويطبي الجهالا،

*Dorcas stridule loquens, cujus fascinans pulchritudo venetur — Cor sapientis, et insipientem interimat ex insidiis.*

Quando autem in initio versus *collum convertentis se ad respiciendum feminae* comparatur cum *collo pulli dorcadis*, actio illa *respiciendi* longitudinem colli magis ostendit, quod longum et gracile mulierum collum merito pulchrum habent Arabes. Eum enim dorcadis morem describit Poëta, a Tebrizio ad Ham. laudatus, apud Schroed. Origg. p. 127:

اذا احسّت من ذباة خبرا خصت له الجيد،

*Quando lenem percipit strepitum, ad eum collo emicat.*

Unde eadem comparatio apud Amr'alkeis, in Moäll. v. 33, datur:

وجيد كجيد الريم ليس بفاحش، اذا هي نصته ولا بمعطل ۞

*Collum ejus sicut collum Dorcadis candidae, neutiquam deforme — Cum illud erigit, nec ornamentis destitutum;*

ubi Zouzenius addit (quod etiam facit ad nostrum locum): شبه عنقها بعنق الظبية في حال رفعها عنقها،

Ad comparationem autem ipsam egregie facit locus Schol. ad Ibn-Fâredh, cit. a cl. de Sacy *Chrest. Ar.* III: 162: الغزال غاية في الالتفات *Gazella animalium maxime gratiosa est quando collum convertit.* Sic et ludit Gjomahi:

عنت اوايلهم رايت عنقا من القوم ومن الظبا،

Conf.

Conf. Suckari in Schol. ad Diwân Hud. MS.

V. 61. Cum admodum accurate Grammaticum egerit Zouzenius de septem verbis ex افعال in مفعول transeuntibus, nil fere notarem, nisi quod ex ejus observatione appareat, vocabulum عمرا, quod perperam Jonesius omisit, hic sensu Passivo occurrere. Hinc suspicor illud hic non *vitam*, sed, ut nomen Actionis sensu Passivo (cujus usus exempla Hebraica dedit Schroed. in Syntaxi, et Arabica cl. de Sacy, *Grammaire Arabe*, T. I p. 202 et seq.), notare *vitam agi*; unde locum cum Jonesio non verterem: *Audivi de viro qui ingratus est erga beneficia mea;* sed putem vertendum: *Diu expertus sum vitam agi absque ut quis pro beneficiis gratias mihi rependat.* Saepius enim tertia persona, tam singularis quam pluralis, impersonaliter adhibetur, tuncque aut per subauditum *quis*, aut per verbum Passivum Latine est exprimenda, uti apud Hebraeos passim fieri etiam e Schroederi Syntaxi notum.

Versus autem hic adeo placet Arabibus, ut in Proverbium apud eos abierit, coll. Fragmento III, supra in Proleg. p. 13 adducto. Nec mirum, cum grati animi virtutem tanti faciant, ut, teste Kazwini, apud cl. de Sacy, *Chrestom. Arabe*, Tom. II p. 538, cantum avis دراج, veris praenuncii, exprimere dicant hanc sententiam: بالشكر تدوم النعم *La reconnaissance assure la durée des bienfaits.*

V. 62. Quanam in re constiterit illud *mandatum patrui sui*, de quo in priore hemistichio loquitur, non dicit poëta. Suspicor tamen eum id tacite indicare in posteriore hemistichio versus sequentis; ubi, si haec conjectura vera est, de heroïbus id affirmat, quod se ipsum fecisse modeste tacet, sc. in ferventissimo praelii aestu nullam lamentationem edere, nisi clamorem bellicum.

Posterius enunciatum تقلص الشفتان عن وضح الفم quod ad verbum notat, *corrugantur labia ab albedine oris*, fere similiter adhibuit Zouz. in fine scholii ad v. 53, sed ita ut levis ejus mutatio, quâ, pro *ab albedine oris*, dixit عن الاسنان *a dentibus*, optimam explicationem det; cum وضح الفم *albedo oris* etiam in Scholio ad versum nostrum ab eo exponatur per الاسنان *dentes*. — *Labiorum autem corrugatio a dentibus* ea hic innuitur, quae fiat prae horrore pugnae aut mortis, ut tam ibi quam hic monuit. Ita et Ibn-Nah. addit cum Tebr.: وقيل ان هذا تكون في الحرب كثيرا ترتفع الشفة عن الاسنان حتي كانه يتبسم Verbum enim قلص, quo etiam ibi usus est Zouzenius, notat *contraxit se in unum*, *contracta*, *diminuta fuit* res, ut umbra etc.; quâ posteriori notione occurrit apud Ibn-Doreid v. 188:

ان نجوم المجد امست افلا وظله القالص اضحي قد انري٠

*Stellae quidem illustres tandem fiunt occiduae, — etsi earum umbra in meridie contracta corpori fuerit aequalis.*

ubi Ibn-Chaluwia in scholiis MSS. القالص الناقص المشمر. Ita et apud Abulolam, in Sekt-essend MS:

وقلوصا كلفت اذا قلص الظل مكانا بغير ظل جديرا٠

*Camelum currere coëgi, quando contracta fuit umbra, — ad locum, quem nulla umbra obscuraret.*

Ad quem locum notat Tebrizius: قلص الظل اي تشمر ونقص وذلك يكون عند الهاجرة — Usurpatur illud etiam speciatim de *corrugato et contracto labio*, uti nostro loco, sic in Elmacini Hist. Sarac. p. 111: يقلص العليا بشفته *contraxit labium superius*. Simile quid notat aliud verbum, quod Zouzenius ad interpretationem affert, nempe كالح; ita كالح absolute est

est *ringens* s. *labia contrahens*, prae dolore, in Corano 23: 106.

V. 63. Adducunt hunc versum Scheidius, ad Vet. Test. p. 19, et Jones, in Comm. Poës. As. p. 282.

Bene Zouzenius, in explicatione suâ, repetit ad initium hujus versus ex v. praeced. *Utique patrui mei praeceptum observavi*; ita enim uterque versus cohaeret. Et sane multum dicit, eum in isto quidem temporis articulo illud observasse. Quid autem praeceptum illud continuerit, et quomodo illud, quod ei mandatum erat, in posteriore hemistichio, me quidem judice, lateat, ex conjecturâ jam indicavi ad versus praecedentis initium. — De *gurgitibus belli* Tebrizii scholion ad Hamâsam dedit et plura loca, tam ex scriptoribus Arabicis quam Graecis et Latinis, congessit Scheidius, l. c., in quibus, cum aeque غمرات الحرب *gurgites belli* ac غمرات الموت *gurgites mortis* occurrant, parum refert utrum hic cum cod. nostro, Ibn-H. et Jonesio حومة الحرب, an cum alio cod. Leid., Scheidio et Jonesio, in Comm. Poës. As. l. c., حومة الموت legamus; prius tamen praeferendum. Licet enim حومة الموت etiam dicatur, ut in Diwân Hudeil. apud Schult. in Exc. Ham. p. 436, tamen et حومة الوغى eodem sensu, quo nostrum, in Adagiis Golii p. 153 aliisque locis adhibetur, et hic meliorem sensum fundit.

Postrema vero hujus versus dubitem an recte duumviri illi verterint; Scheidius quidem: *nec pavidi clamant*, et Jonesius l. c.: *nec timide mussant*; hic vero, ad h. l., dat: *absque ut murmuret aut queratur*. — Putem potius in iis de *clamore bellico* sermonem esse, et constructionem aliud acumen exigere; sc. illos heroës *in fervido belli aestu nullam lamentationem edere*, *praeterquam clamorem bellicum*, sive, *nisi sit clamor bellicus*. Eum hic per تغغم intelligi credo. Etsi enim haec vox proprie est *Vox tauri quam terrefactus edit*, hoc est *mugitus*, sicque etiam

trans-

transfertur ad *mugitum hominis graviter vulnerati;* in Vitâ Timuri 186: 5, aut et *iracundi*, ibid. Tom. II. 828: 8; tamen, ipso notante Golio, est etiam *Fortiorum clamor in praelio:* et Ibn-Nah. exponit: الصوت الذي لا يفهم وهذا يكون في الحرب كثيرا من الجلبة والاختلاط — Hunc enim clamorem edere solere irruentes Orientales, aliunde satis est cognitum. Illum jam prisco illo aevo locum habuisse, testatur Hâreth in Moäll. MS. v. 34:

هل علمتم ايام ينتهب الناس غوارا لكل حي عواء

*Nostis utique dies illos, quibus in se mutuo irruebant heroës, et quaeque tribus clamorem edebat.*

Ubi Zouz. recte explicat: العوا صوت الذئب ونحوه وهو هاهنا مستعار للضجيج والصياح

V. 64. Citatur hic versus a Meidânio, in Thesauro Proverbiorum MS. no. 3282, ad Prov. افرس من بسطام, ubi tamen lectio multum variat, de quo notae criticae consulantur. — Usum rariorem vocis يتقون et sensum constructionis ellipticae priorum vocabulorum satis exposuit Zouzenius. Is, nisi fallor, paraphrastice huc redit: Cum socii mei, me pugnae praeficientes et in primâ acie collocantes, hoc modo per me, tanquam clypeum inter illos hostesque interpositum, se tutos redderent ab hastarum cuspidibus, has tamen non refugi pusillanimis; — sed vero arctus mihi fuit quo fortitudinem meam ostenderem locus. — Postrema haec utrum proprio an figurato sensu sumenda sint, anceps haereo; forte quidem utroque, pro more poëtae nostri figuram ex ambiguo de industriâ adhibendi. Proprio sensu, de loco quo pedem posuerat nimis arcto, ea sumit Jonesius; qui vero sensus an cum versus sequentis hemistichio posteriore con-

conveniat, vehementer dubito, cum ibi se in hostes irruisse dicat.

V. 65. Ante hunc versum in Codd. Leid. et apud Jonesium exhibentur tres alii, quibus Jonesius, non quidem in textu sed in translatione, eumque in suâ secutus Hartmannus, quartum adhuc post primum illorum interserit. Hos igitur omnes cum *Zouzenii* codex non agnoscat, eorum explicatio non huc, sed ad notas criticas, pertinet.

Qui vero hic datur versus, eum etiam adducit et Belgice post Jonesium vertit cl. Muntinghe, in Additam. ad libri Jobi translationem H. A. Schultensii, p. 265. In vocabulis quidem nihil est quod nos moretur. Constructio tamen enunciati اقبل جمعهم cum differat a constructione verbi ſequentis يتذامرون, quod cohaeret cum initio: *quando vidi copias hostiles semet invicem ad pugnam incitare*; constructio illa, inquam, mihi videtur alium sensum dare quam Jones, Hartmann et fere Muntinghe ei tribuunt, vertentes: *Cum vidi legiones nostrorum hostium advenire, seque invicem ad pugnam incitare.* Non enim utriusque enunciati eadem est ratio. — In priore putem omissum esse more solito pronomen relativum; vel particulam قد hic subaudiendam esse, uti Ibn-Nah. et Tebr. dicunt: قد هاهنا محذوفة والمعني لما رايت القوم قد اقبل جمعهم، sed priùs praetulerim. Porro اقبل sumendum mihi videtur eâ notione quam dat Golius in Append. *Antrorsum properavit seu procurrit.* Tandem جمع verterem hic *agmen*, sive *cohortem exercitus magnam.* Hoc speciali sensu adhibetur in Cor. 3: 149; apud Elmacinum p. 261; et in primis in A. Schultensii Excerptis ex Ispahanensi p. 22. — Hinc sensus est: *Quando autem videbam numerosas hostium copias, quarum magna procurrebat cohors, semet invicem incitare ad pugnam, impetum feci, non sane vituperandum.* Tunc scilicet tem-



pus

pus erat, quo heros noster irruendo ostenderet non amplius angustum fortitudini suae demonstrandae locum dari, uti v. praeced. dixerat.

V. 66. Attulerunt etiam hunc versum A. Schult. ad Job. p. 153; Kuipers, in Schult. et Schr. Dissertatt., p. 561; Reiske, ad Tar. p. 123; et Rosenmüller, ad Zoheir, p. 40, qui posterior tamen, Jonesium secutus, nonnulla vocabula aliis vocalibus minus recte instruxit. Sensum perspicue explicat Zouzenius, sed dubito an recte comparationem hastarum tantum ad earum longitudinem referat. Nisi enim fallor, gemina hic comparatio adest: altera, hastarum cum rudentibus putealibus ob longitudinem; altera, hastarum in pectore equi cum iisdem rudentibus, inservientibus ad aquas hauriendas. — Huc etiam facit versus Gjeriri, apud Reiskium l. c. p. 122:

كانه مسد ينازع من لصاف جرورا

*Quasi* esset *funis*, *qui egerit aquam e profundo puteo Lesaf*; quod vocabulum لصاف (ut id hac occasione addam) a Gjeuhario explicatur, adducto etiam poëtae loco: لصاف مثل قطام

موضع من منازل بني تميم

Non contenti enim Arabum poëtae, uti ad v. 28 vidimus, de lacubus, cisternis, puteis vitae et mortis loqui, cum quibus cor comparant, pingunt insuper hastas ut urnas et situlas mortis, illas quidem sanguinem e corde, uti hae aquam e puteo, exhaurientes. Hinc et hastas non tantum ut sitientes, verum et ut bibentes sanguinem ex inflictis vulneribus describunt, locis a Schult., Kuipersio, Reiskio, et ex iis a Rosenmüllero datis aliisque bene multis. Unum tantum versum addo, qui Antarae tribuitur a Schol. apud Van der Sloot ad Tograi p. 139 quique nonnihil alio modo legitur in Vitâ Tim. II. 248: 9:

ولقد

ولقد ذكرتك والرماح نواهل مني وبيض الهند تقطر من دمي

*Et profecto tui memor sum, licet hastae sitientes de me hauriant, et albae Indicae sanguine meo stillent.*

Versus autem ex Hâreth in Moäll., a Reiskio Arabice tantum exhibitus, quique est v. 90, in Cod. Zouz. 54 sic legitur:

وجبهناهم بطعن كما تنهز في جمة الطوي الدلاء

sicque sonat:

*Percussimus iis frontem confodiente ictu, sicuti situlae commoventur in aquâ putei confluente.*

Convenit quodammodo versus Hamâsae, in Schult. not. ad Exc. Ham. p. 432:

مخضت بدلوه حتى تحسى ذنوب الشر ملي او قرابا

*Concussi urnam ejus, donec sorbuerit — situlam mali plenam, aut ferme plenam.*

In nostro igitur loco pectus equi figuratur tanquam puteus, e quo hastae, longitudine rudentibus similes, sanguinem hauriunt.

V. 67. Dubium hic nonnihil est, utrum بثغرة (vel بغرة ut alii legunt) نحره ولبانه cum Jonesio vertendum sit *cum collo et pectore ejus*, sc. equi; an *in anteriore colli parte et pectore ejus*, sc. sedens. Tam غرة enim quam ثغرة hic vulgari suo usu non conveniunt. غرة quippe, *candicans macula in fronte equi*, pec. *major quam* درهم, ut notat Gol. ex Gi., sive البياض في الجبهة, uti explicat Scholiastes MS. ad carmen Borda v. 86, non de dorso equi, cui insidetur, occurrit; uti nec ثغرة, *Fovea juguli, seu in superiore extremitate sterni, ad clavicularum commissuram;* ut notat Gol. ex Gi., item in camelo et equo *Locus supra pectus isti utcunque respondens;* uti idem ex Ca. observat. Hoc

 enim

enim vocabulum utroque hoc suo usu ad pectus, non vero ad collum aut dorsum pertinet. Ita et de homine adhibetur; uti quando Mohammed dixisset, narrante Abulfeda in Vitâ Moh. ed. Gagnier p. 33, in itinere suo nocturno *pectus* sibi scissum esse a Gabriële, et quidem من ثغرة نحره الي شعرته *a foveâ juguli usque ad pubem*, id explicatur ibid. من قصته الي شعرته *a sterno pectoris usque ad pubem*; قصة enim est *capillus frontis, antiae.* — Quia igitur sive *foveâ juguli equini*, sive *fronte equi, et ejus pectore hostem projicere* nullum sensum dat, neque illud ارمي cum Jonesio, qui hoc sensit, per *adoriri* potest verti, putem potius posteriorem hujus locutionis translationem, supra exhibitam, assumendam esse, ita ut vel *fovea juguli* vel *frons et pectus equi* hic indicent *anteriorem*, et capiti frontique maxime vicinam, *colli partem, cui in ferventissimo praelii aestu insidebat* noster. — Notum enim est id Arabibus, in primis campestribus, quando in hostem irruunt, saepe moris esse, praesertim si equis non insideant, sed stent in stapedibus. Forte et hoc voluit Zouzenius, cum simpliciter explicet: *Non cessavi projicere hostes in jugulo equi mei.* Conf. fuse de illo more erud. Du Bois-Aymé, in *Mémoire sur les tribus Arabes du désert de l'Egypte*; in opere splendido *Description de l'Egypte, par ordre de S. M.* Tome II Artic. II.

Postrema hujus versus, *usque dum* equus meus *sanguine tanquam indusio vestitus* esset, id est *undiquaque sanguine et cruore quasi obtectus esset*, conveniunt cum ingenio Orientali, quo notio *vestiendi* ad omne tegumentum solet transferri. Parum abludit Rouba, apud Schult. in not. ad Exc. Ham. p. 517, ubi Taurum et Canes describit:

وقن كسا ذبهن صبغا جريغا ۞

*Hos induit tincturam viridissimam.*

quod

quod Merzouki in Schol. ibid. explicat: كسا الكلاب دما طريا *canes recenti sanguine vestivit.* Magis adhuc convenit versus ex Diwân Hudeilitarum, in Notis Schultensii ad Exc. ex Ispahan. p. 10:

اذا ادركوهم يلحفون سراتهم بضرب،

*Quum assequuntur eos, amiciunt dorsa eorum ictibus.*

Nostrum autem dictum exponitur a Scholiastis Leidd. تسربل اي صار له الدم بمنزلة السربال وهو القميص، et Gjeuhari: السربال القميص وسربلته فتسربل اي البسته السربال،

V. 68. *Morbus* hic memoratus, سقم, quis fuerit non patet, cum nulla ejus mentio facta sit, et hic quidem verbulo tantum de eo loquatur poëta. Vix autem dubito quin non *morbus* generatim cum Reiskio, in Prol. ad Tar. p. xxvii hunc versum citante, vertendum sit, quasi *ejus* morbus esset; nam *morbus animi ejus* dicitur: causa autem morbi ejus animi poëtae videtur exhibita esse tum v. praeced., conspectus equi ejus sanguine obtecti, tum v. 69 et sq., querela et lamentatio equi vulnerati. — سقمها igitur hic referrem ad animum et verterem *moerorem ejus*, sc. animi, saucii ob miseram illam equi conditionem; et perspicuitatis causâ praemitterem versui: *Lugebam quidem ideo; saucium tamen propterea animum meum sanavit mox, depulitque ejus moerorem heroüm dictum* etc. Ita et Zouz. explicat نفي غمه *Dispulit ejus moerorem.* — Non tantum enim سقم omnis generis *morbum*, etiam *animi*, notat, ex. gr. *aegritudinem ex amore ortam*, in Carmine Borda v. 7:

فكيف تنكر حبا بعد ما شهدت، به عليك عدول الدمع والسقم ۞

*Quomodo ergo negas amorem, postquam testimonium dedere, —*
*De illo contra te, testes legitimi lacrymarum et morbi?*

Ita et in Sententiis Ali ex Collectione Abd' olwahdi, ed. van Waenen p. 80 no. 207:

صحة الدنيا سقم ولذتها الم

*Sanitas mundana aegritudo, et voluptas ejus dolor est.*

Verum etiam verba illa *sanandi*, quae hic occurrunt, de talibus animi morbis adhibentur. Sic Schol. ad Togr. v. 22 verbo شفا de *sanatione* sive *dissipatione moeroris* utitur: شفاه اذا ذهب عنه الغم et de *sanatione cordium* adhibetur in Vitâ Salad. p. 1; et in Paraphrasi Arab. Carm. Pythag. p. 12 no. 66; atque ipse Coranus dicitur شفاء *medicina*, C. 41: 44, coll. v. Waenen l. c. p. 208, uti et alterum verbum برا exstat hoc sensu apud Ibn-Dor. v. 109:

ولاعبتني غادة وهنانة تضني وفي ترشافها برء الضني

*Mecumque colludet puella tenera, delicatula, quae quidem morbo enecet, sed cujus in osculo sanatio sit morbi illius excruciantis.*

Nec mirum est poëtam adeo lugere de equi sui tristissimâ conditione; cum Arabes non tantum equos suos, praestantissimos quidem illos, magni faciant, verum et eos tanquam itinerum et periculorum suorum comites et quasi socios suos ament ac laudent. — At vero, si duo haec hemistichia jungamus, non tantum hic videmus hominem, sed simul heroëm et poëtam, egregie haec describentem. Quantus enim ejus etiam moeror sit, obliviscitur illius, quamprimum de pugnando res est, atque ei acclamatur ab heroïbus: *Antara, animose praecede!*

Causa autem hujus doloris cum sita sit in versu praecedente et in sequentibus, hinc forte ortum est quod hic versus in nonnullis codicibus postponatur sequentibus, ut sic descriptio vulnerati equi non abrumpatur. Sed, uti mihi videtur, minus recte

et

et parum poëtice aut ingenio humano conveniens, cum vere lugentium sit non tantum continuo sermonis filum abrumpere, sed praesertim cogitationibus et querelis suis identidem ad causam doloris sui redire eamque dulci quadam loquacitate, variis modis, et repetitis vicibus memorare, ut sic dolor effundendo quasi nonnihil leniatur; quod et hic et in seqq. obtinet.

V. 69 et 70. Uti ad v. praecedentem vidimus poëtam suum moerorem ob vulnera carissimi sui equi egregie exprimere, ita et hic non tantum deprehendimus moerorem ejus vehementer augeri debuisse, propterea quod *equus ejus prae vibratis in pectus hastis deflectat*, unde animose praecedere sociis suis heroï denegabatur; sed et ob auctum illum dolorem, redit ad miserrimam equi sui conditionem describendam, atque duobus his versibus non minus pulchre equum illum pingit tenerrimo illo modo quo erga dominum suum agit. Lacrymae et hinnitus hic disertissimorum verborum vices occupant. — Sic, quamquam aliâ schesi, Abulola in Sekt-essend MS., Carm. 1: 37, etiam in Golii Append. ad Gramm. Erp. p. 238, de equo suo:

وايقظ بالصهيل الركب حتي' ظننت صهيله قيلا وقالا

*Excitavit hinnitu* suo *comitum turbam*, *ita ut* — *putarim hinnitum esse verba et dicta*; i. e. sermonem.

Nec tamen sufficit poëtae nostro equum vulneratum hic inducere, ut lacrymis et hinnitu querentem de suis vulneribus, eumque adeo ad misericordiam commoventem, verum, quantum se in praecedentibus ostendit heroëm in pugnis, quantumque poëtam in fortitudine suâ aliorumque describendâ; quantum etiam supra eum vidimus hominem, munificentiâ conspicuum et aversione a praedâ dividendâ magnanimum; tantam ejus humanitatem hic conspicimus in ejus moerore ob equum suum vulneribus gravatum ejusque erga illum misericordiâ; tantam etiam in eo admiramur fa-

facultatem poëticam ad conditionem illam flebilem flentis et lamentantis equi his versibus modo quam tenerrimo exprimendam. Hoc quidem ita fecit, ut meliorem hoc nomine locum me, in hoc saltem carminum genere, apud poëtas Arabas legere non meminerim. — Quae enim loca sermonem per prosopopoeïam rebus inanimatis aut animalibus tribuunt, ea plerumque aut aliam imaginem complectuntur aut elegantiâ illâ tenerrimâque enunciatione carent: uti Labîdi in Moäll. v. 10:

فوقفت اسالها وكيف سوالنا ، صمّا جوالد ما يبين كلامها ۞

*Et substiti interrogaturus ea* (parietina); *sed quid juvat interrogare — lapides surdos, quorum non distinguas sermonem?*

Multo magis friget et vero omni pulchri sensu destitutus est versus Abulolae, Reiskio ad Tar. p. 00 citatus:

اوفي بها الحرباء عودي منبر للظهر الا انه لم يخطب ۞
فكانه رام الكلام etc.

*In qua Chamaeleon adscendit gradus cathedrae, in meridianis precibus, excepto quod homiliam non recitet.*

*Quasi vellet perorare*, etc.

Melius Abd'olmelich, in Exc. Ham. p. 546:

واسمعنا بالصمت رجع جوابه ، فابلغ به من ناطق لم يحاور ۞

*Atque audire nos fecit* (hic defunctus) *per silentium reddita responsa, — Et o potentem oratorem, qui nullam edit vocem!*

Omnibus autem his longe elegantior nostro loco est muta quidem, sed disertissima illa, equi vulnerati allocutio, quam poëta nativo suo colore quasi ad oculum pingit: Vulneribus et cruore obtectus equus meus *lacrymis et hinnitu est mecum conquestus: — Quodsi novisset sermocinari, vocibus edidisset querelas; — sique habuisset loquelam, utique verbis mihi indicasset* vulnera sua et cruciatus. — Postrema haec equidem addo, quia in متكلم mo-

more suo ambiguum captat poëta in geminâ notione illius speciei II; alterâ, *vulnerandi*, alterâ, *loquendi*.

V. 71. Adeo abrupte ponitur hic versus, ut de ejus contextu cum praecedente et sequente aeque incertus sim ac de ejus sensu; tum quid sibi velit poëta hujus rei mentione, tum de quibusnam equis loquatur, utrum de suis an de hostilibus. Prius quidem videtur, si cohaeret versus cum sequente, ubi de suis camelis agit; et tamen hoc etiam dubium est, nam suum equum in praecedentibus jam vulneribus et sanguine obtectum conquestus erat. Hinc forte dicendum, hic de equis sociorum suorum sermonem esse, et contextum ita constituendum ut hic sortem infelicem equorum sociorum suorum per temerarium eorum in terram mollem et laxam impetum describat, in versu seq. vero illis temerariis equis suos obsequentes camelos opponat, sicque vocabulum والخيل habeat Waw, quae Grammaticis dicitur واو الحال Waw status, *interea dum equi* etc. atque paradosis detur versu sequente, *cameli mei erant obsequentes* etc.

Priori etiam hemistichio Jonesius et ex eo Hartmannus, (licet prior tamen eadem vocabula in textu exprimat) alium longe sensum dant quam equidem ex vocabulis exsculpere possim, sc. *Mediis in atris pulveris nubibus impetuose currebant equi habitu alterato* (*with disfigured countenances*, *in unkenntlicher Gestalt*); cum tamen خبار, consentientibus Golio, Zouzenio et Schol. Leidensibus, sit *terra mollis et laxa*, et secundum Zouzenium, *ea* quidem *in quam* hic loci *pedes equorum immerguntur*; عواجس autem sint *austeri vultu*, *tetrici*; pro quâ notione a locis addendis abstineo, quia passim occurrit.

In altero hemistichio dubitari possit, utrum من جبن hic idem notet quod جبن et praesertim ما جبن nonnunquam significet in duobus orationis membris, ubi جبن vel ما جبن in priore est *par-*

 *tim*

*tim* aut *tam*, Waw vero in altero membro ei respondeat atque etiam *partim* aut *quam* significet. Sic ما بين مهشوم ومجروح *partim caesi*, *partim vulnerati*, in Vitâ Tim. 612: 1; ما بين راجل وراكب *tam pedites quam equites*, ibid. p. 222: 3; et apud Nuweirium, in Schult. Hist. Joctan. p. 88: بين اسير وقتيل *partim vincti*, *partim caesi*. — Putem tamen potius in praemisso من causam dari *austeri* horum equorum *vultus*; ut من sit *prae*, sive *propterea quod*; uti Zouzenius illud etiam per لما explicat.

Hinc dubitanter ad verbum verto: *Interea autem dum* (sociorum meorum) *equi impetuose in terram ruebant mollem*, *austerum illi monstrantes vultum* — *quod medios essent inter proceras equas aliosque equos proceros*; i. e. *inter alios*, *proceros quidem omnes*, *utriusque sexus equos* (uti Zouz. recte exponit); qui igitur prae gravitate sua et pondere altius in solum lutosum immergebantur. — Atque sic quidem verterem e lectione Codicis Zouzenii. Leidenses autem et Jonesii Codices ut et margo Codicis nostri pro اخر *alios*, exhibent اجرد *tenuibus et brevibus pilis equos*; quod vero cum laudi detur, ut observat Golius et ex pluribus locis apparet, hic igitur minus probandum putem, quia non de laude sed, ut mihi quidem videtur, de infortunio equorum temerariorum agitur.

V. 72. Si ea, quam ad versum praeced. proposui, sententia mea vera est, poëta hic loci *vectarios camelos suos* non tantum *obsequentes* verum tunc temporis etiam *obsequentes*, quando illis maxime opus est, *in moliminibus periculosissimis*, opponit *equis temerariis*, modo descriptis; in quâ suspicione nunc etiam confirmor quia Zouz. hic ذلل explicans ذل aeque ac Golius contrarium dicit vocabulo الصعوبة, quod modo de equis illis adhibuerat. — Illud enim ذلل ejusque singulare ذلول, quamquam saepe

in

in malam-partem *viles*, *abjectos* notent, tamen etiam bono sensu *submissos*, *obsequentes* significant, uti etiam Schol. Leidd. id per منقادة exponunt; et praesertim illa vocabula jumentis tribuuntur ut ab Amr'alkeis in Moäll. v. 39, et in Ibn-Zeiduni Risâlet p. 7: يركب الصعب من لا ذلول له *Qui bene docto et obsequioso caret jumento, conscendat ille asperum et intractabile atque succussorium, necesse est;* uti vertit Reiskius. — Faciles enim se praebere camelos sibi suos gloriantur Arabes. Ita apud Lette, l. c. p. 203:

والعز عند رسيم الاينق الذلل

*Gloria est in gressu citato camelorum obsequentium.*

Cum quo dicto fere convenit Ibn-Huggia, apud Van der Sloot ad Tograi p. 148: وانما العز موجود عند سير النوق المذللة في الاسفار *num gloria invenitur in itineribus camelorum obsequentium.*

Laudem autem illam, camelos ejus se ductiles praebere rectori suo, quam verbulo tantum praedicat noster, per partes neque ineleganter amplificat Tarapha, v. 36 et 37, qui hoc ordine in Cod. Zouzenii leguntur et hoc modo punctantur:

وَإِنْ شِئْتُ لَمْ تُرْقِلْ وَإِنْ شِئْتُ أَرْقَلَتْ

مَخَافَةَ مَلْوِيٍّ مِنَ القِدِّ مُحْصَدِ ۞

وَإِنْ شِئْتُ سَامَى وَاسِطَ الكُورِ رَأْسُهَا

وَعَامَتْ بِضَبْعَيْهَا نَجَاءَ الخَفَيْدَدِ ۞

*Si velim, non properat; sin, tollutim currit — metu* scuticae *plexae de loro, contortae:*

*Si velim, capite in mediam sellam erecto — brachiis natabis celeritate struthiocameli.*

Quae hic Zouz. disputat utrum ركاب (cum primâ Kesre, non Dammâ uti pronunciat Jonesius) singulari careat, ut et dixit Golius, an vero, cum Al-Ferraö Grammatico ejus singulare dicendum sit ركوب, collatis aliis ejusdem formae exemplis, ea etiam ad v. 10 jam ex illo monuimus.

Vocabula حيث شئت possint separatim sumi *ubicunque voluerim*, vel, ut vult Tebr. cum ذلل كان jungi; sed credo recte in margine Codicis mei observari, illud حيث cohaerere cum مشايعي. Posterius hoc notat quidem vulgo *adjuvans me*; peculiare autem quid hic captari observat Zouzenius, cum aliam significationem hic indicet, quae in III hac specie in Lexicis deëst, scilicet denominativum a [illegible], *schidiae et fragmenta ligni sicca, quibus accenditur ignis, fomes*; et quae igni accendendo quasi *opem ferunt* atque *inserviunt.* Et videtur quidem etiam Jonesius hanc notionem hic applicuisse. Hinc verbum de verbo verterim: *Cameli mei vectarii erant obsequentes, ubicunque vellem, cum ardorem animi mei inflammarem eumque in peragendo molimine firmiter proposito incitarem.*

V. 73. Citant hunc versum Tebrizius, in Prol. ad Zoheir, apud Reiskium in Prolog. ad Tar. p. XXVI sq. et ex eo Rosenmüllerus, ad Zoheiri Moäll. p. 7, uti et eum adducit Jonesius in Comment. Poës. Asiat. p. 282, quorum autem hic primum verbum minus recte dat in Imperfecto, et utrumque hemistichium ita vertit ac si duas res a se invicem separatas contineret: *At verebar, ne quid mihi accideret, et ne bellum super duos filios Demdemi non esset conversum.* Poëta tamen utique non is erat qui timeret mortem; sed verebatur tantum ne obiret priusquam caesi essent hi ejus inimici. Hoc igitur melius dedit Reiske:

Ve-

*Vereor, ne moriar antequam belli caedisque rota gyret super ambo filios Demdem* (i. e. ne moriar ante ipsos occisos). Hunc tam restrictum a poëtâ mortis metum recte etiam observavit Zouzenius.

Quos porro tanquam omnibus illo tempore in suâ tribu cognitos inimicos poëta tantum vocat *ambo filios Dhemdhem*, eorum non solum nomina nobis servarunt Scholiastae Leidenses et Zouzenius, nempe Hosein et Harem, حصين وهرم; sed et docuit Zouzenius eos heroëm nostrum invitum ad bellum adegisse; additque ad h. l. Tebr. اللذان قتلهما ورد بن حابس العبسي وكان عنترة قتل اباهما ضمضما وكانا يتوعدانه؛ Cetera, quae duo hos Dhemdhemi filios causasque hujus inimicitiae et belli spectant, fuse exhibuit Tebrizius, apud Reiskium l. c. — Ad illum tamen locum verbulo monendum est, nomen [illegible] tribuit, quod Tebrizius in textu Arabico dat المزني *Mazenita*, non ita a Reiskio, et integrum eum locum iterum exhibente Hartmanno p. 93 sqq. et Sacy p. 18. verti, sed *Dzobjanita.* Hoc igitur Rosenmüllerus, l. c. p. 6, in notâ, emendandum vult in الذبياني. Et tamen illud المزني non tantum legitur in Cod. Leid. Tebrizii MS., verùm et Prologus, quì in Cod. nostro Zouzenii praefigitur illi Zoheiri carmini, etiam المزني exhibet, quamquam hic prologus non ex eodem fonte esse videatur, quippe qui in multis quidem vocabulis cum Tebriziano conveniens, in aliis tamen ab eo diversus est et multo plura continet.

In posteriore hemistichio Reiske aliam substituit imaginem scil. *rotae belli caedisque gyrantis super hostes.* Loquuntur quidem Arabes de bello per varias imagines, quae saepe videntur similes, valde tamen indole suâ differunt: sic ex. gr. frequenter de *molâ belli* quae volvatur et gyret, ex. gr. in Exc. Ham. p. 326:

اذا دارت رحا الحرب الزبون ،

*Quum mola volvitur belli contumacius collisi;*

sed mola belli ibi est maxima ejus moles. *Rotae belli* autem nusquam mentionem factam novi, nec دايرة id notat. Est enim *circuitus: circulus;* et hinc translate *conversio fortunae*, pec. *adversa.* Sic eodem sensu, quo in nostro loco, in Vitâ Tim. 344: 2 علي الباغي تدور الدواير *volvuntur in tyrannum adversitates fortunae*, et يدير بها الدواير *circumgyrare fecit in iis casus adversos*, ibid. 256: 13; inde etiam دايرة السوء, in Corano 9: 99, a Gjeuhario in سوا explicatur الهزيمة والشر *clades et malum quodvis.* Hinc potius imaginem a poëtâ adhibitam, ut magis Orientalem, servandam putem. — Fallitur tamen Zouzenius quando hoc nomen non nisi in malam partem sumi dicit. nam in loco Corani citato etiam in bonam adhibetur الدواير pro *conversionibus fortunae prosperis.* Ita et utroque sensu dixit poëta, a Lettio in Curis tertiis ad Cant. Deb. p. 86 e Gjeuhario citatus:

والدهر بالانسان دواري

*Et fortuna in homine est versatilis.*

Ceterum non ambos, ut Tebr. modo cit. dixit, sed tantum alterum horum Dhemdhemi filiorum, Haremum, occisum esse a Ward Ibn-Habesch Absitâ, ورد بن حابس العبسي refert Zouzenius MS. ad Zoheir Moäll. v. 34. Utrum autem id factum fuerit ante obitum Antarae an post illud, adeoque hic voti sui particeps factus fuerit an secus, non liquet.

V. 74 et 75. Multum differt interpretatio Jonesii, in Comm. Poës. As. l. c., ab eo sensu quem huic versui priori et initio alterius dat Zouzenius, et quem vocabula exigere mihi videntur.

Il-

Ille vocabula ان يفعلا singulari modo jungit cum ناذريه et sequentibus: *et voverunt, nisi illis sanguinem meum concederem, — Se facturos.* — Ac si non legeretur ان (*In*) *si*, vel *siquidem*, uti omnes habent codices, sed esset ان (*An*) *ut;* quae tamen particula non facit Apocopen in Futuro, quod vero hic locum habet. — Melius Zouzenius et Scholiastae Leidenses nomen دمي jungunt cum ناذرين *voventes sanguinem meum effundere;* atque adeo Zouzenius vocabula sequentia اذا لم القهما non interpretatur ut ille: *nisi illis concederem sanguinem meum*, sed: *cum eos non videbam*, h. e. *me absente* voverunt se me necaturos esse. Totius igitur versus sensum sic constituit, ut poëta voti sui, praecedente versu facti, causam dicat esse tum horum inimicorum calumnias, quamquam eos non lacessiverit, tum eorum votum sollenne et mutuum, quo se obstrinxerant ad ejus caedem, idque *eo absente*, quia, ut recte adjungit Zouzenius, eo praesente, strenuitate cum eo contendere non fuerant ausi. Nisi forte quis illa velit interpretari: *Voverunt necem meam quando illis non adfuturus essem*, i. e. subdole perpetrandam.

Hisce poëta addit v. 75 ان يفعلا quod cum sequentibus junctum vel potest verti cum Jonesio, in translatione Anglicâ, *Immo injuriâ affecerunt me — sed reliqui patrem eorum* etc. adeoque potest tantum restringi ad alteram versus prioris partem, sc. ad calumnias, quod et facit Zouzenius, vel potius, me judice, pertinet ad utramque partem illius versus, hoc est, tam ad eorum calumnias quam ad nefarium et heroïbus indignum eorum votum de eo neci dando: *Dum tamen ambo illi haec agebant, reliqui* etc. — Praeterea illud تركت *reliqui* iterum eo sensu sumendum est quem Schroederus in Syntaxi Hebr. egregie pro linguâ Hebraeâ perspexit et usum praegnantem vocavit, quemque etiam ad-

v. 41 et 50 observavimus, ita ut duobus verbis opus sit ad illud exprimendum; unde et Zouz. id recte explicuit: قتلت وصيرت *Occidi reddidique patrem eorum pabulum ferarum* etc. qui usus hujus verbi etiam in duobus versibus mox adducendis recurret, et locis carminis nostri modo citatis itidem adfuit, in quorum quidem posteriore pleraque vocabula fere eadem sunt quae hic habentur ibique a nobis illustrata sunt. — Plurimum etiam cum hoc poëtae dicto conveniunt versus Schoreichi, apud Schult. ad Exc. Ham. p. 533:

لتركته لعواف من ضباع وانسر ۞

*Sane reliqui eum pabulatricibus hyaenarum et vulturum cohortibus.*

et Diwân Hud., cit. a Reiskio ad Tar. p. 120:

تركنا الضباع [illegible] الليل [illegible] الدسم في سرب مخيم ۞

*Reliquimus hyaenas noctu involantes ipsorum laceram differre carnem, in compitis Machim.*

Crudele quidem et inhumanum merito videatur hoc factum in heroë nostro, cujus utique meliores animi dotes supra saepius observavimus, quin tenerrimam et misericordem admodum indolem paullo ante vidimus. Multum tamen hoc ejus vitium minuitur, tum omnibus iis quae ambo hi ejus inimici nefarii simul et ignavi aut jam aperte fecerant aut etiam subdole contra heroëm hunc magnanimum erant moliti; tum sollicitâ nostri non magis quam omnium Arabum curâ de existimatione suâ, praesertim à calumniis, intactâ servandâ aut, si laesa esset, acriter vindicandâ; tum denique non excultis nostrum in modum illorum temporum moribus, eâque hominum indole, quâ sub fervido coelo optimis et tenerrimis animi affectionibus eodem cum fervore quo pravis, si modo non viles essent, indulgebant, et ardore suo abrepti in extremum quodque ruebant. Haec igitur singula factis aut testimo-

moniis confirmemus, cum ea etiam aliorum poëtarum locis illustrandis inserviant.

Praeter id enim, quod ambo hi fratres et fecerant et moliti erant, etiam alter eorum Hosein aliâ occasione ut subdolus et perfidus simulque foedifragus notatus est a Zoheir, qui paucis annis post nostrum vixit, in ejus Moäll. v. 34 et 35 (ed. Rosenmülleri v. 38 et 39), ex punctatione in Cod. Zouzenii:

لعمري لنعم الحي جر عليهم ..

بما لا يواتيهم حصين بن ضمضم ۞

وكان طوي كشحا على مستكنة

فلا هو ابداها ولم يتقدم ۞

uti vertit Rosenmüller:

*Per vitam meam juravi, laudibus a me celebrandam esse tribum illustrem, in quam injurius fuit Hosein, Demdemi filius, quod in foedus consentire nollet.*

*Celavit et arcanum habuit firmum suum propositum, nec aperuit illud, nec praeceps ruit ut illud exsequeretur.*

Ubi et versus seqq. eum ut hominem animi implacabilis et truculentum ferocemque repraesentant.

Multum porro huc facit maxima existimationis cura apud Arabas. Quam sollicitus noster fuerit de eâ, etiam per ebrietatem, non dedecorandâ, ipse supra v. 39 indicavit et factis demonstravit. Quam solliciti postea etiam hoc nomine essent ceteri, exemplo sit Ibn-Doreid v. 143:

ولكني امرو اصون عرضا لم يدنسه الطخا ۞

*At vero ego vir sum, dignitatem suam servare solitus, quam nulla unquam contaminaverit atra injuria.*

Nec tantum hanc curam habebant suae, sed et aliorum existimationis: sic Tarapha, in Moäll. v. 73:

وَإِنْ يَقْذِفُوا بِالقَذْعِ عِرْضَكَ أَسْقِهِمْ

بِكَاسِ حِيَاضِ المَوْتِ قَبْلَ التَّهَدُّدِ

*Si qui lacerent conviciis existimationem tuam; illos poto calice de cisternâ mortis, ne minis quidem praemissis.*

Ubi autem in Cod. Zouz. pro بكاس legitur بشرب.

Haud mirum igitur eos summo in primis odio habere calumniatores, et de eorum conviciis saevam hanc vindictam sumere, quin ad ejus conspectum laetari. Quanto odio eos prosequerentur et quam graviter eos punirent testis est Amrou, in Moäll. MS. Cod. Zouz. v. 32 sq. (in aliis codd. v. 82 sq.):

نَزَلْتُمْ مَنْزِلَ الأَضْيَافِ مِنَّا فَأَعْجَلْنَا القِرَى أَنْ تَشْتُمُونَا

قَرَيْنَاكُمْ فَعَجَّلْنَا قِرَاكُمْ قُبَيْلَ الصُّبْحِ مِرْدَاةً طَحُونَا

*Descendistis apud nos tanquam hospites nostri, — et festinanter cibum vobis dedimus, ne calumniemini nos:*

*Nunc vero hospitabimur vos, festinanterque, —* etiam *ante auroram, vobis dabimus cibum; sed saxum vos commoliturum.*

Immo non tantum Poëta noster, v. 36, se vehementem illatae injuriae ultorem ostendit, verum ipse ille Antarae calumniator, Hosein Dhemdhemi filius, quem ceterum ignavum vidimus modo, ipse tamen injurias statim punire dicitur apud Zoheir, in Moäll. v. 39 (ed. Rosenm. v. 43) qui in Cod. Zouz. sic legitur:

جَرِيٍّ مَتَى يُظْلَمْ يُعَاقِبْ بِظُلْمِهِ سَرِيعًا وَإِلَّا يُبْدَ بِالظُّلْمِ يَظْلِمِ

*Audax, qui quando laeditur, extemplo punit illum, qui ipsum laesit; et nisi aperte quis ipsum aggrediatur, ipse fit aggressor.*

Vin-

Vindictam autem saepe sumere eo modo, quo noster hoc versu dixit, etiam deinceps moris erat. Sic in Vitâ Tim. 212: 2: جعل مقابرهم بطون الذياب والضباع وحواصل الاطيار *Constituit sepulcra eorum ventres luporum, et hyaenarum, et ingluvies avium.* Inde et, eâdem voce, quâ noster hic utitur, ام قشعم *Mater vulpium annosarum*, in Zoheiri Moäll. v. 37 (ed. Rosenm. v. 41) secundum Ibn-Nahhâs dicitur *bellum*, vel, ex mente Zouzenii, *Mors:* uti Meidân. MS. duo Prov. 2689 et 2690 (non اللهين ut Gol. Lex. p. 149) طرقته ام اللهيم وام قشعم jungens, ea explicat وهما المنية. — Immo laetabantur heroës ad conspectum ejusmodi poenae, uti laetantia ad illum pingebant haec animalia; ex. gr. in Exc. Ham. p. 442 et sqq.

تضحك الضبع لقتلي هذيل وتري الذيب لها يستهل ۞
وعتاق الطير تهفوا بطانا تتخطاهم فما تستقل ۞

*Rident hyaenae ad occisos Hudeilitarum, cernasque lupos, qui ad eosdem renidescant:*

*Rapacesque alitum caespitare, fartis adeo ventribus lapsabundos super illos, ut se nequeant levare.*

Tam saevi autem, eoque quo noster vivebat non minus quam sequenti etiam tempore frequentis apud Orientales, moris plura hic exempla addere horret animus. Neque necesse est. Alia enim, nec minora, in notis dedit Schultensius. — Atque ea quidem rerum momenta, quae cum universe de hoc more vulgari, tum nominatim de justis vindictae, a nefariis ignavisque his poëtae nostri hostibus sumtae, causis, ad duo hos versus observavimus, sufficere mihi videntur ad inhumanum illud in heroë hoc ejusque tempore et conditione non quidem excusandum, sed vero nonnihil minuendum. — Excusari enim id nequit, cum crudele sit ultra mortem saevire. Sed dijudicanda res ex iisdem incultis

vetusti aevi moribus ferocique bellandi genere, ex quibus etiam Homerus (Il. α v. 4) de Achille praedicat:

—— αὐτοὺς δ' ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν
Οἰωνοῖσί τε πᾶσι. —— ——

et ipse Achilles (ibid. Il. ψ. v. 183) dicit:

—— Ἕκτορα δ' οὔτι
Δώσω Πριαμίδην πυρὶ δαπτέμεν, ἀλλὰ κύνεσσιν.

Nec minus inimico pectore fatur Aeneas (apud Virg. X Aen. 557):

*Istic nunc, metuende, jace. Non te optima mater*
*Condet humi, patriove onerabit membra sepulcro:*
*Alitibus linquere feris; aut gurgite mersum*
*Unda feret, piscesque impasti volnera lambent.*

---

EMEN-

# E M E N D A N D A.

| Pag. | lin. | |
|---|---|---|
| 1, | 12, | *leg.* omnibus, si extiterint, |
| 3, | 20, | — illam |
| 5, | 13, | — عَنَزةٍ |
| 9, | 18, 19, | — quod cum |
| 13, | 6, | — اصبحت |
| —, | —, | — الحتوف |
| —, | 13, | — ac si |
| 14, | 7, | — مخرم |
| 15, | 12, | — Thay: solum |
| 22, | 13, | — *European* |
| 23, | 10, | — parandum |
| 24, | 27, | — loricâ accinctus erat ille heros |
| 25, | 12, | — hinni |
| —, | 27, | — inquit, |
| 26, | 15, | — Asmaï (narrante Tebr. ad Tar. v. 29) apud |
| 27, | 20, | — Christi |
| 28, | 5, 6, | — Becr |
| 29, | 22, | *leg.* Bibliothecâ |
| 31, | 14, | — hic |
| 33, | 20, 21, | — eût |
| 56, | 6, | — aequali, |
| 58, | 2, | — *pugnantium* |
| 63, | 12, | — dat |
| 67, | 19, | — Zouz.; |
| 69, | 13, | — dat سعْن |
| 71, | 11, | — etiam cum Phatâ |
| 72, | 1, | — Nah. ut et Ibn-Nah. ad Tar. v. 38 |
| —, | 5, | — Leidd. et Ibn-Nah. ad Tar. l. c. |
| 73, | 9, | — exhibent, |
| 75, | 12, | — جمهنر |
| 79, | 10, | — aliis sermo est. |
| 82, | 4, | — عَشِيقَتِكِ |

Pag.

# E M E N D A N D A.

| Pag. | lin. | |
|---|---|---|
| 84, | 6, | *leg.* جفلانة |
| 85, | 4, | — زيارتها |
| 88, | 10, | — تطاوه |
| 92, | ult. | — بذات |
| 116, | 20, | — et quod non |
| 118, | 9, | — عشرين |
| 119, | 26, | — العيش |
| 120, | 19, | — Alta autem |
| 128, | 26, | — legendam |
| 130, | 22, | — Sen — |
| 131, | 4 fin. | *del.* لها |
| —, | 2 fin. | *leg.* vocabulis |
| 134, | 11, | — notat |
| 139, | 9, | — μήλοισιν |
| 141, | 16, | — وماوها |
| 148, | fin. | — quum |
| 152, | 9, | — oculis feriit |
| —, | 10, | — p. 133. |
| 159, | 7, | — *Nader* |
| —, | 3 fin. | — solum |
| 163, | 2, | *leg.* et sensu |
| 164, | 11, | — تركبه |
| —, | 8 fin. | — Prius illud |
| 170, | 3 fin. | — quod illud |
| —, | 2 fin. | — deforme |
| 175, | 10, | — اصل اذن |
| 180, | 15, | — *Tunc salus* |
| 184, | 7, | — شغت |
| 189, | 20, | — هامية |
| 200, | 18, | — Gjarumia |
| —, | 22, | — هجروا |
| 220, | ult. | — عنق |
| 224, | 13, | — للضجيج |
| 226, | 15, | — جروزا |
| 232, | 9, | — صما خوالس |
| 233, | 22, | — *tu deformato* |
| —, | 2 fin. | — significat, |
| 234, | 1, | — respondet |
| —, | 2, | — significat. |
| —, | 11, | — medias |
| 237, | 11, | — اباهما |
| 239, | 12, | — causas |